LOGICA:

SIVE,

ARS RATIOCINANDI.

AUCTORE,
JOANNE CLERICO.

Neque decipitur Ratio,
Neque decipit unquam,
Manilius.

LONDINI,
Impensis *Awnsham* & *Johan. Churchill*, apud Insigne *Nigri Cygni* in *Pater-Noster-Row.* 1692.

LOGICA,
ONTOLOGIA,
ET
PNEUMATOLOGIA.

LOGICA:

SIVE,

ARS RATIOCINANDI.

AUCTORE,
JOANNE CLERICO.

Neque decipitur Ratio,
Neque decipit unquam,
Manilius.

LONDINI,
Impensis *Awnsham* & *Johan. Churchill*, apud Insigne *Nigri Cygni* in *Pater-Noster-Row.* 1692.

160
L49l

NOBILISSIMO

ET

AMPLISSIMO VIRO

ROBERTO BOYLEO,

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

HOC Opuſculum Tibi, VIR NOBILISSIME, quem Philoſophorum facilè Principem hæc noſtra agnoſcit ætas, & omnes fatebuntur poſteri, dicare cogitantem me duo, primâ fronte deterrebant. Primum erat, tanto viro libellum, in Adoleſcentulorum duntaxat uſum conſcriptum, offerri, ſatis decorum non eſſe. Alterum, ſi quid ſimile, quod Tibi offerretur, indignum non eſſet, id ſaltem ejuſmodi eſſe oportere, ut in ſuo genere, ſi non omnibus numeris abſolutum, perfectioni quàm proximum haberi poſſet. Verùm priorem

834549

priorem dubitandi rationem antiquiora & recentiora exempla præſtantiſſimorum virorum, qui maximis ævi ſui ingeniis hujuſmodi Opuſcula ſæpe obtulere, animo meo exemerunt. Altera, cùm non ſolius muneris, ſed animi etiam offerentis ratio haberi ſoleat, rem diligentiùs penſitanti levior viſa eſt. Ergo exempla non obſcura ſequutus, & ſummam, qua Te proſequor, venerationem teſtatam facere cupiens, Nomen Tuum huic Opellæ præſcribere auſus ſum.

Cùm Philoſophiæ etiam ſectam, quam hîc ſequor, intuerer, ea quoque animum addebat, utque Libellum Tibi, VIR AMPLISSIME, non diſpliciturum ſperarem faciebat. Plurimis in locis, ubi de ſubſtantiis ago, hoc, quod ex immortalibus Tuis Scriptis primùm hauſi, ubique urgeo, ſolâ experientiâ eas notas; itaque ſi earum nobis, quantùm poteſt, naturam perſpectam cupimus, experimenta quàm plurima eſſe ſumenda; tum demum, quæ de iis ferimus judicia, alioqui dubia, certa fore. Qua in re, longo licèt intervallo, Te videor mihi ſequutus, quem naturam rerum innumeris iiſdémque certiſſimis experimentis rimatum, & facem, hoc in negotio, noſtro ac poſteris ſæculis prætuliſſe norunt quicunque à Philoſophia non ſunt prorſus alieni. Tua certè hæc propria laus eſt, in arcanas rerum naturas, Chymices, Mechanices

nices, Therapeutices & aliarum Artium ope, ſummâ diligentiâ, inquiſiviſſe; falſa experimenta, quæ quaſi comperta nimis credula nobis commendarat Vetuſtas, à veris ſecreviſſe; & innumera vitæ ac Theoriæ Philoſophicæ utiliſſima inventa primum, ſine invidia, patefeciſſe.

Ut hiſce laudibus *Democritum*, quem ætatem in experimentis triviſſe aiunt Veteres, multum ſuperaſti, fructum qui ex ejuſmodi enaſcitur contemplationibus, judice *Epicteto*, præ cæteris Sapientiæ cultoribus, collegiſti uberrimum; qui intellexeris, ut edito aureo libello palam ſignificaſti, ὅτι φιλοσόφως εἰ νῦν ἔχον, ut eximii Philoſophi verbis utar, ὀλίγον ἄλλο ἔδει ποιεῖν ἢ κοινῇ ἢ ἰδίᾳ, ἢ ὑμνεῖν τὸ Θεῖον, ἢ εὑρημεῖν, ἢ ἐπεξέρχεσθαι τοὺς χείρους. Sed ſi hîc pietatis Tuæ eximiæ laudes exſequi aggrediar, & Epiſtolæ modum excedam & modeſtiæ Tuæ, VIR NOBILISSIME, gravis ſim.

Addam hîc, quantumvis remota vulgò à pietatis doctrina videatur Logica, exactas ad ejus accuratiſſimos Canonas ratiocinationes, ut plurimis exemplis oſtendi, rectà ad maximi momenti dogmata ducere. Gravem profectò injuriam Religioni Chriſtianæ faciunt, non mali quidem fortè homines at parùm in ea verſati, qui, ubi de ea ferendum eſt judicium, Rationem audiendam. Hoc potiſſimùm pacto, incredulorum inge-

niis immeritò ſuſpecta facta eſt. Dum enim, in aliis omnibus, Ratione, ſine qua perpetuò fallerentur, ſibi uti licere; ſed ubi de Religione ſermo eſt, affirmantibus Magiſtris credendum, audiunt, fallaciæ aliquid latere illico ſuſpicantur. Nec fortaſſe ſemper fallerentur, ſi fraudem haud ſatis peritis Chriſtianæ Doctrinæ Interpretibus aliquam tribuerent, modò ab horum cauſa, Religionis ipſius cauſam ſecernerent. Nos meliora de Evangelio ſentimus, & omnia ejus dogmata ad rigidiſſimas rectæ Rationis leges, ſine periculo exigi poſſe cenſemus. Si quid Rationem ſuperat, ſeu, extra cognitionis ejus fines ſitum eſt, ipſa per ſe tacet, nec judicium de iis quæ non aſſequitur ferre ſuſtinet. Hæc & plura alia nos ita hîc oſtendiſſe ſperamus, ut nullus ſit dubitationi relictus locus. Qua de re, judicabunt Eruditi, & Tu, præ cæteris, VIR AMPLISSIME, qui ex Philoſophia ad pietatem maxima colligi poſſe incitamenta non uno Volumine, oſtendiſti, & oſtendere dictis & factis, quandiu Te incolumem ſervabit Deus, perges; quod ut diutiſſimè, Te commoda utente valetudine, fiat, eum ex animo oro. Vale.

Amſtelodami Calendis Januariis, anni à Chriſto nato, CIↃ IↃC XCII.

LEC-

LECTORI

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

CUM docendæ Philoſophiæ munus, ab aliquot retrò annis, pro virili exequerer, primùm aliena Scripta interpretari aggreſſo moleſtum hoc accidebat; quod cùm eorum librorum dogmata aut per omnia non probarem, aut multa exigui, ut videbantur, uſûs æquo prolixiùs tradi, aut alia utiliſſima vel jejunè tractari, vel prorſus omitti exiſtimarem; quædam inter legendum oppugnare, alia ſupplere ac fuſiùs exponere cogerer. Cùm itaque mihi ea res moleſtiam, & audientibus tyronibus confuſionem crearet, tandem ad ſcribendum eorum, quæ mihi veriora & utiliora videbantur, Compendium, eâ Methodo quam commodiſſimam ducerem, animum appuli. A *Logica*, *Ontologia* & *Pneumatologia*, quæ nunc una prodeunt, initium feci; *Phyſicam* aliquando, juvante Deo, editurus, prout per alia graviora ſtudia licuerit. In Logica quandoque *Artem Criticam* laudo quarum priores duas partes dictavi; ad quas duæ accedent aliæ, ſi otium mihi fecerit Deus, quæ & publicæ luci exponi fortè poterunt.

Si in hacce Logica, ut de ea duntaxat hîc loquar, nihil eſſe novi, aut pleraque nova dixerim, Lectorem perinde fefellero. Methodum in Scholis ſine ratione, ut videbatur receptam ſæpe immutavi; mul áque quæ in Logica, quamvis ad ratiocinandi Artem pertineant, tradi

di non ſolent, iis quæ vulgò in hujuſmodi libris inveniuntur addidi : ut, vel ex Capitum Inſcriptionibus, colligere Lectores poterunt. Summatim tamen hîc potiſſima quæque indicabimus.

Quæ de Idearum ſeptem ſpeciebus, in Prima Parte, docentur, ea in aliis Logicis aut planè omitti, aut perfunctoriè ac leviter attingi ſolent ; quæ tamen maximi, ubi de *ſimplici Perceptione* agitur, eſſe momenti quicunque ea legerint, ut ſpero, non diffitebuntur. Cæterùm ne in ingenuitatem peccemus, ingratíve animi peccatum admittamus, eximio libro Anglicè ſcripto, cui *Tentamen de Intellectu* modeſtiſſimus idémque acutiſſimus Scriptor Titulum fecit, plurima nos debere profitebimur. Cùm hæc primùm ſcripſimus, Ejus Epitomen videramus, ex qua multa diſertè tradita hauſimus, nec paucas, ex admiſſis Principiis conſequentias deduximus ; quæ cùm in hoc Libro, tum per totum Opus ſparſæ ſunt.

In Secunda Parte, præter præcipuas quæ hîc tradi ſolent, de Propoſitionum generibus, Doctrinas ; à Capite ſeptimo ad decimum, de *Veritate*, *Veriſimilitudine*, *Falſitate*, & *Fide*, ea ſcripſimus quæ in aliis hujuſcemodi Opuſculis, non ſine magna diſcentium jactura, prætereuntur aut nimia brevitate docentur.

In Parte Tertia de utraque Methodo, *Synthetica & Analytica*, multò quàm fieri ſoler, exemplum Logicæ Gallicè conſcriptæ quæ *Portûs Regii* dicitur, ſequuti, fuſiùs & accuratiùs egimus. Ex eo libro pleraque quæ ad Syntheticam Methodum pertinent, mutuò ſumpſimus, quæ exemplis tamen utplurimùm illuſtravimus. Ex alio celeberrimo Opere Gallico, quod *de Inquirenda Veritate* inſcribitur, cùm multa ex iis quæ de *Attentione* & *Capacitate* Mentis dicta ſunt, tum pleraque quæ de Analytica Methodo docentur, in hanc noſtram Logicam, more noſtro expolita & illuſtrata, derivavimus. Hoc in negotio exemplis, quæ ex Mathematicis diſciplinis petuntur, utplurimùm inſuper habitis alia ſubſtituimus. Hæc, nimirum, alia ferè ſtudia culturis ſcripta ſunt, ideóque ea attulimus

tulimus exempla, ex quibus quâ arte argumenta Ethica, aut Hiſtorica excuti accuratiſſimè queant, intelligerent. Ac ſanè circa hæc periculoſiſſimi verſantur hominum errores: ut indidem maximi momenti dogmata petita ſunt. Capitis ultimi argumentum cui potiſſimùm debeamus in ima pagina profeſſi ſumus; quod quamvis Logicis inuſitatum, nemo, ut opinor, extra rem eſſe queretur.

In quarta denique Parte, traditis *Argumentationis* ſolitis Legibus, Artes quarum ope ſine illis, reponi faciliùs quibuſvis Syllogiſmis, & diſceptari ſinceriùs ac utiliùs queat, oſtendimus. *Socraticam Methodum* diſceptandi hanc Artem diximus; quòd Socrates eâ feliciſſimè primus uſus ſit, & ejus Canonas ex Socraticorum Scriptorum lectione collegerimus. Ut in re ipſa iis, qui *Xenophontem*, aut *Platonem* legerunt, nihil erit novi: ita eam in Logicam, prout nunc vulgò docetur, tranſtuliſſe novum pleriſque videbitur. Ratio verò ſolvendorum ſine Regulis Syllogiſmorum, ea ſimpliciſſima licèt atque ex ratiocinii natura petita, à nemine, qualis hîc deſcribitur, quem equidem norim, tradita fuerat. Si tamen hæc, aut quævis alia, quæ nova exiſtimavi, alibi inveniantur, ea ad alios referantur per me licet, Diſcentium uſum, non gloriolam aliquam, hîc ſpectavi.

Ad hæc, quæ præter plerorumque Logicorum morem, ſeu alios paucos ſequuti, ſeu ſine exemplo docuimus, duo accedunt memoratu, ut opinor, haud indigna. Primò, ubique Doctrinas minùs utiles, & quas, propter conſuetudinem tantùm, omittere nefas duximus, ab iis quæ majores uſus præſtant diligenter ſecrevimus, atque utrarumque momenta indicavimus. Qua in re, Peripateticis vetuſtioribus, & recentioribus Scholaſticis parùm honorifica multa diximus; quæ fortè aut omiſiſſemus, aut iis condonaſſemus, niſi per plura ſæcula magni ea feciſſent Scholæ; quarum auctoritati, ne diutiùs noceret, aperta opponenda fuit veritas. Secundò, quod & aliis ante nos feliciter ceſſit & Rationi conſentaneum eſt, exemplis Scholaſticorum, ridiculis plerumque, abſtinuimus, ut ſeriis & utile quidpiam complexis uteremur

remur. Petita, fateor, plurima ſunt ex Theologia, quam cùm oporteret, apud omnes Chriſtianos, accuratiſſimis conſtare rationiis, maximo Reipublicæ Chriſtianæ malo, Sophiſmatibus omnis generis, apud quaſdam Chriſtianæ Religionis familias, ſcatet. Alioquin ex alia quavis Diſciplina exempla petere potuiſſemus, niſi ex hac innumera nobis ſponte ſeſe ingeſſiſſent. Certè ſi uſquam non errare noſtrâ refert, hîc intererat, & facile fuit; niſi potiùs quàm Logicæ, vel rectæ Rationis haud fallacem ductum ſequi, multi Chriſtiani lites ſerere, & factiones alere maluiſſent. Verùm hæ querelæ non ſunt hujus loci, ideóque manum de tabula tollimus.

LO-

LOGICA,

Sive

ARS BENE RATIOCINANDI.

PRÆFATIO.

De Origine, Natura, Uſu, & Diviſione Logices.

1.
Ogicam, ſeu *Dialecticam*, ſummatim conſideratam, nihil eſſe aliud præter *Artem bene ratiocinandi*, ex quo ejus nomen auditum eſt, omnes norunt. * A *Zenone Eleate*, *Parmenidis* Auditore, qui circiter CCCCL annis ante Chriſtum floruit, inventa perhibetur. Quod de Arte ſcriptis conſignata, & certis Regulis collecta; non de facultate ipſa τῷ διαλέγεσθαι, quæ ſemper in hominibus fuit, eſtque paulatim

A

* *Diog. Laërtius in Præf.*

latim usu expolita, intelligendum. Post Zenonem alii, præsertim Peripatetici & Stoici, Logicam excoluerunt, & novis observationibus immane quantum, ut jam, vel mole sua, molesta facta sit, auxerunt.

2. Ut intelligantur origo & usus hujus Scientiæ, inventorum & excultorum Logices cognoscendus est scopus. Tempore Zenonis, & sequentibus etiam sæculis, Græci, præ cæteris Gentibus, loquacitate, & cujusvis argumenti oppugnandi ac defendendi extemporaneâ facultate, mirum in modum, delectabantur, ut ex universa Græcorum Historia, & præsertim vitis Philosophorum constat. Hoc cùm animadverterent Dialectici, ex observatione sermonis hominum, quæsiverunt copiosæ orationis fontes, & rationes varias quibus solerent vera, aut falsa probari; atque inde Artem Dialecticam, quæ apud veteres Logicos, verborum potius est quam cogitationum, conficere se posse judicarunt. Non ad investigationem veri, sed ad facilem tantum de omnibus disputationem, viam aperire studebant.

3. Ut voti compotes fierent, primum ad quæ generalia nomina res omnes possent, aut solerent referri observarunt. Atque inde nata sunt *Universalia*, quæ dicuntur, & *Categoriæ*, de quibus in prima Logices Parte agemus. De Universalibus & Categoriis varias Regu-

Regulas, petitas etiam ex obſervatione ſermonis quotidiani, tradiderunt; quibus poſitis, quotieſcunque ſermo erat habendus de re quapiam, diſpiciebant ad quodnam Univerſale, aut ad quam Categoriam, referri poſſet; ac de ea ex Regulis poſitis, non ex intima rei cognitione loquebantur. Itaque hæc Dialecticæ Pars Nomenclatura, ſeu Dictionarium fuit, cujus ope nomina quædam rebus imponebant, & memoriter ex Regulis, ſeu veris, ſeu falſis, ratiocinabantur, ut ex illarum obſervationum interpretatione liquebit.

4. Hinc factum ut res vulgares admodum & omnibus notas, quaſi reconditas doctrinas enunciarent, propter artem ad quam ſua dicta exigebant, ſeu potius propter Dictionarium, quo conſtanter utebantur, & in quo etiam voces erant novæ, quibus ſermo quotidianus deſtitui videbatur. Ita ſi quis quæreret quid ſit *Homo?* repoſuiſſet Philoſophus eſſe *Animal rationale*, ex ordine Univerſalium ſuorum; quod idem, ac ſi dixiſſet Homini imponi nomen *Animal*. Quærenti quid ſit *Planta? Vivens animâ vegetativâ præditum*, repoſuiſſet. Sciſcitanti quomodo *Animal* & *Vivens* differant? regeſſiſſet, Vivens eſſe *Genus* Animalis, Animal verò *Speciem* Viventis; quod huc redit, nempe in diſtributione Entium, apud Philoſophos, *Vivens* nomen

eſſe generalius, ſeu quod pluribus tribuitur, quam Animal. Si quis quæſiviſſet quid ſit id cui *Ratio* ineſt, quæve *Anima Vegetativa?* reſponſum accepiſſet animam rationalem eſſe *formam ſubſtantialem* hominis, animam vegetativam formam item ſubſtantialem plantarum, Urgenti nihil repoſuiſſet præter alia D.ctionarii vocabula, quibus exhauſtis denuo incepiſſet, ſi modo in iram non erupiſſet.

5. Secundo, Dialectici quam varie vocabula ſita in Propoſitionibus, atque inde quot ſpecies ſint Propoſitionum notarunt, & multa ſubtilia hac de re ſcripſerunt, vera quidem ea ut plurimum, ſed fere inutilia; quoniam ipſa praxi, vitæque uſu, quicquid debet de hiſce teneri nullo negotio diſcitur. Idem fecerunt ac ſi quis artem ſaltandi edocturus. Geometria uteretur, ad oſtendendum quomodo pedes ſint movendi, quæ figuræ ſaltando deſcribi poſſint, aliaque quæ vera quidem, ſed praxi ipſa difficiliora eſſent.

6. Tertio, obſervarunt diligenter quam varie collocari poſſint inter ſe Propoſitiones variorum generum, atque inde confecerunt operoſiſſimas de argumentatione diſputationes, eodemque vitio laborantes ac obſervationes de ſingulis Enunciationibus. Si dicendum iis de aliqua re erat, id non deducebant ex rei illius cognitione, ſed ex Regulis artis, quas unice

unice, omissa rei consideratione, spectabant. Itaq; dum anxii sunt de applicatione Regularum, ad verba tantum & methodum attenderunt; unde evenit ut hoc unum ex eorum scriptis, quo nomine afficerent rem aliquam in Philosophicis suis Lexicis, & quo ordine nomina rerum collocarent, haurire liceret.

7. Nec reposueris eos saltem istis vocibus aliquid significasse; etenim multæ fuere, quæ nihil significarent, & de quibus tantum hoc norant, qua occasione essent efferendæ. Aliæ vero adeo obscuras ideas adjunctas in eorum animis habuerunt, ut ægerrime possent distingui; aut adeo generales, ut nihil speciale quod usui alicui esset significarent. Istum deinde sermonem transtulerunt ad alias Disciplinas, præsertim Physicam, & *Scholastico*rum ævo, Theologiam; quæ etiamnum hodie, apud Dialecticorum cultores, adeo inanibus vocabulis refertæ sunt, ut in Scholasticis Systematibus nihil pæne discere liceat, nisi quibus nominibus res nescio quæ Philosophis & Theologis ignotæ insigniantur, & quæ de nominibus istis definire Magistris visum fuerit.

8. Hinc fiebat ut Logicæ in vita communi, in qua ad Dictionaria Philosophorum, eorumque Methodum nullatenus respicitur, sed res duntaxat expenduntur, nullus esset usus. Quicunque, opera Dialecticæ aliquan-

diu data, ad aliud vitæ genus ſe conferebant, ſtatim & vocabulorum & artis obliti, ipſa experientia, quam fruſtra tempus triviſſent, diſcebant.

9. Hæc cum multorum ſæculorum fuiſſet methodus, tandem exorti ſunt Viri præſtantes, qui aliam viam iniverunt, & Logicam, non ut artem loquendi Philoſophicis vocibus, tradi oportere; ſed ut artem inveniendi veri, ejuſque vocibus omnibus notis & intellectis efferendi, & ſimul cavendi ab erroribus in quos ipſi incauti incideremus, aut ab aliis induceremur, oſtenderunt.

10. Itaque in hac noſtra Logica, ante omnia, præcepta, quibus non ad verborum, ſed ad rerum cognitionem perveniri queat, trademus. Secundo loco, paucis voces præcipuas à Scholaſticis adhibitas, Hiſtoriæ cauſa, interpretabimur. Sed cum hæc poſterior Pars operis noſtri non propter ſe, verum propter conſuetudinem, tractanda à nobis ſuſcipiatur, in definitione Logices rationem ejus nullam habemus. *Logica ars eſt bene ratiocinandi*, juxta nos, non loquendi aut diſputandi, ex Scholarum methodo.

11. Eam in quatuor Partes dividimus. Prima verſabitur circa ſingulas ideas, quatenus de iis nihil affirmamus aut negamus. Scholaſtici *ſimplicem perceptionem*, quod eodem redit, materiam hujus partis faciunt, vocantque

cantque eam *primum modum diſſerendi.* Secunda Pars ideas conjunctas conſiderabit, ſeu *Enunciationes*, quæ ſunt alter modus diſſerendi. *Circulus*, ſi nihil addas, denotat ideam ſimplicem. At ſi dicas: *Circulus habet circumferentiam à centro æqualiter diſſitam*, variæ conjunguntur ideæ, quarum dum una de altera vel affirmatur, vel negatur, naſcitur *Propoſitio*, ſeu *Enunciatio.* Tertia Pars tradet, qua ratione diſponi oporteat Enunciationes, ut veritas inveniatur aut inventa tradatur, quæ diſpoſitio *Methodus* dici ſolet. Quarta denique docebit artem diſponendi propoſitiones, ut veritatem contradicentibus probemus, quod *Argumentationis* nomine deſignari, & *tertius diſſerendi modus* vocari ſolet. Quidam Methodum, de qua in tertia Parte agetur, *quartum diſſerendi modum* vocant; quod ſeu admittatur nomen, ſeu rejiciatur, perinde eſt.

12. *Objectum* ſolet vocari id circa quod Diſciplina verſatur, adeoque quatuor illa memorata *objectum Logicæ* dici ſolent. *Finis* eſt id in quod tendit, quod eſt *bene ratiocinari*, & poſtquam bono ratiocinio ad veritatis cognitionem pervenimus, eam aliis impertiri, ſi neceſſe ſit.

13. Hinc ſatis apparet Logices maximum eſſe uſum. Primum, inde petuntur ſubſidia, quibus poſſimus de omnibus rebus recte ratiocinari;

tiocinari; quod non eſt ita intelligendum, quaſi hauſta hujus Diſciplinæ cognitione, de quolibet propoſito argumento dicere quis poſſit extempore, ut veteres Sophiſtæ & Scholaſtici factitabant. Hoc tantum volumus, Logica nobis aperiri viam, quam ingredi oportet, ut ad cognitionem, quanta poteſt acquiri, rerum perveniamus; & poſt diligens examen, quod interdum longum tempus requirit, judicium proferre & defendere contra diſſentientes, eorumque placita oppugnare perſpicue & ſolide queamus.

14. Secundo, cognitis terminis, quibus Scholaſtici uſi ſunt, Hiſtoriam Philoſophiæ præteritorum ſæculorum diſcimus, atque inde unde ſint multa Philoſophica & Theologica placita orta cognoſcimus. Præterea, ubi ſcimus quid ſignificent voces iſtæ, periculum minus eſt ne nobis imponant, qui eas certis occaſionibus adhibere norunt, neve ubi Nomenclaturam ſuam recitant, aliquid auditu dignum dicere videantur.

LO-

LOGICÆ
PARS PRIMA.
De Singulis Ideis.

CAPUT I.
De Natura & Speciebus Idearum.

1. CUM Philoſophi veriſſime, experientia unius cujuſque teſte, primam Mentis operationem eſſe rei quæ illi obverſatur conceptionem ſimplicem, ſine affirmatione aut negatione, obſervarint; neceſſe eſt inde Artis, quæ ſe ducem Menti profitetur, ad judicia de ideis ferenda, initium fieri. Itaque hoc in Libro ideas, quatenus ſimpliciter, ſecluſo omni judicio, à nobis conſiderantur, expendemus.

2. *Ideam* in genere hic quicquid eſt *objectum immediatum mentis noſtræ*, ſeu *quod menti immediate obverſatur* appellamus. Videntur omnes ideæ originem vel occaſionem, neque enim nobis ſatis conſtat quomodo procreentur, habere in ſenſibus & meditatione; hoc eſt, quicquid Menti noſtræ obverſatur id ei ſeſe offerre, poſt perceptionem ſenſuum, aut meditationem Mentis, ſeu hæ cauſæ idearum, vel occaſiones tantum ſint. Facile hoc poſſet probari, ſi res eſſet hujus loci. Verum ſatis eſt, quod experientia poſtea comprobabit, hic ſupponi.

3. I. Sunt ideæ *ſimplices* & *compoſitæ*. Simplices eas in quibus, ne Mente quidem, plura diſtinguere poſſumus; compoſitas, quæ conſtant pluribus ſimplicibus, vocamus.

Harum idearum exempla, ut & ſequentium ſpecierum, poſtea proferemus.

4. II. Sunt ideæ *ſubſtantiarum* & *modorum*. *Subſtantiam* vocamus neſcio quod obſcurum ſubjectum, in quo exiſtunt proprietates rerum quas novimus. *Modos* vero attributa ſubſtantiarum, quæ exiſtere ſola ſine ſubſtantiis poſſe non concipimus.

5. III. Inter ſubſtantias & ſubſtantias, modos & modos, item modos & ſubſtantias, ſunt quædam *Relationes*. Nimirum *conſideratio unius includit conſiderationem alterius*, ideoque relatio inter ea eſſe dicitur.

6. IV. Sunt ideæ quæ quaſi rei alicujus exiſtentis imagines conſiderantur, & quæ Menti, ſine ulla ejus operatione ſe ingerunt. Aliæ vero, pro arbitrio, à Mente novis ideis conjunguntur, vel iis quibuſcum conjunctæ fuerant ſpoliantur, quod fit per *abſtractionem*.

7. V. Sunt ideæ magis vel minus late patentes; ſeu paucioribus aliis ideis conjunctæ reperiuntur, vel pluribus; unde *ſingulares*, *particulares*, & *univerſales*, vocantur.

8. VI. Sunt ideæ *claræ*, vel *obſcuræ*. Claræ ſunt omnes ſimplices, & eæ ex compoſitis, quarum omnes partes diſtincte animo obverſantur.

9. VII. Sunt ideæ *adæquatæ*, vel *inadæquatæ*. Adæquatas vocamus eas, quæ omnes partes rei, cujus ſunt imagines, complectuntur & Menti conſiderandas offerunt; inadæquatas contra, quæ quaſdam tantum partes rei, cujus ſunt imagines, continent. Ideam autem dicimus imaginem eſſe alicujus rei, quia eſſe aliquid extra nos, quod reſpondet, ſeu ſimile eſt iſti ideæ, quæ eſt veluti imago in qua Mens rem iſtam conſiderat, ſupponimus. Mens enim non adhæret immediate objectis quæ cernimus, quando ea animadvertit; ſed ea ope idearum quæ, præſente objecto externo aut commoto cerebro, Menti ſeſe offerunt, videt. Ita igitur ideæ objectorum, ex quorum occaſione excitantur, vocantur imagines.

10. Hæ ſunt ſpecies idearum, ad quas omnes, ut quidem videtur, referri poſſunt. Eas ſigillatim expendemus,

&

& quid in iis conſideratu dignum, ad inveſtigationem veritatis, occurret notabimus; nec præcipuas de hiſce obſervationes Veterum Philoſophorum & Scholaſticorum, omittemus.

CAPUT II.

De Ideis Simplicibus & Compoſitis.

1. *Ideas ſimplices* ſupra à nobis diximus vocari eas, *in quibus plura ne mente quidem diſtinguere poſſumus.* Ejuſmodi ſunt plurimæ, quas ex occaſione ſenſuum habemus; plurimæ, quas Mens noſtra, ſine ſenſuum adminiculo, attentione in ſe converſa, deprehendit. Quod aliquot exemplis illuſtrabimus.

2. Ad ideas ſimplices referendæ ſunt omnes ſenſationes noſtræ. Quarum præcipuæ ad quinque claſſes redigi ſolent, juxta partes corporis, quæ commoventur. Aliæ interventu oculorum, aliæ aurium, aliæ narium, aliæ linguæ, aliæ denique attactu aliarum corporis partium ad nos appellunt. Colores ſunt ideæ ſimplices, neque enim in iis partes varias diſtinguere animo licet. Exempli cauſa, quis poſſet aliud reſpondere quærenti, quibus partibus ſit compoſitus color cæruleus, aut albus, *&c?* niſi ſe non videre in iis partes ullas, quas poſſit deſignare. Obſervandum hic nos non de corpore colorato, quod habet partes, ſed de ſola coloris perceptione, ſepoſita conſideratione corporis, quo ante oculos poſito, obverſatur nobis color, loqui.

3. Simplices ſunt etiam ideæ ſonitus, odoris, ſaporis, & tactus; licet corpora, quorum ope i nobis excitantur, variis partibus conſtent. Non negamus quidem quin varius ſonitus ſit, varius odor, varius ſapor & varius tactus. In aliqua harmonia mixtum eſſe ſonitum acutum cum gravi, thymiamata conſtare variis odoribus, condimenta variis ſaporibus, & tactum experiri ſimul varios

ap-

appulſus corporum membra noſtra impetentium dicere vere poſſumus. Verum hic de unica ſenſatione, ſeorſim conſiderata, loquimur. Ita ſi quis roſam ſubito olfaciat, neque patiatur ullum aliud odoriferum corpus ad nares ſuas accedere, habebit ſenſationem, in qua nullas poterit diſtinguere partes. Idem autem de cæteris ſenſationibus judicium ferendum.

4. Inter ſenſationes noſtras, eminent præcipue *Dolor*, & *Voluptas*, quæ pro cauſis, vel occaſionibus à quibus producuntur aut excitantur, & pro membris quæ afficiuntur, variorum ſunt generum. In Dolore autem, aut Voluptate nullæ diſtinguuntur partes, quæ à ſe invicem ſeparatæ concipi poſſint; quod intelligendum de ipſa ſenſatione Doloris aut Voluptatis, non de duratione, nam in hac plures partes, priores & poſteriores, poſſunt diſtingui. Sed quis dicat dolorem, qui ex punctione percipitur, aut ex nimia commotione cerebri, exempli cauſa, ſentitur, conſtare partibus, quæ concurſu ſuo pariunt dolorem punctionis, aut κεφαλαλγίαν?

5. Per ſenſus etiam ad nos pervenit idea *Motus*, cum videmus aliquod corpus transferri ex uno loco in alium. In motu ratione durationis, aut lineæ quam corpus motum deſcribit, aut celeritatis, poſſe partes diſtingui fateor. Attamen ſi motum in genere, per abſtractionem, contemplemur, in eo nullas oſtendi poſſe partes, quibus diſſolutis pereat motus, & conjunctis oriatur denuo, quod licet in omnibus compoſitis deprehendere, facile animadvertemus.

6. Si ad ideas, quæ ex Mentis meditatione ortum ducunt, convertamur, multas quoque ejus eſſe ſimplicitatis, ut ne minima quidem partium diſtinctio locum habere queat, comperiemus. Ita ſi conſideremus quid ſit *velle*, *nolle*, *judicare*, & nitamur partes in iis ideis quærere, fruſtra nos eſſe illico videbimus.

7. Quamvis, ut jam dixi, in duratione ſint partes, quarum aliæ aliis antecedunt; ſi *Exiſtentiæ* ideam abſtractam contemplemur, nullas etiam in ea partes deprehendemus, nec eſt quod interroganti, quibus partibus conſtet exiſtentia, reſpondeamus.

8.

8. Non opus eſt plura idearum ſimplicium exempla colligamus. *Compoſitas* vocamus eas, in quibus varias ideas ſimplices, quæ diſtingui & ſeorſim concipi poſſunt, videmus. Ita ideæ omnium corporum ſunt compoſitæ, cum in iis poſſimus partes quaſdam ſine aliis intelligere. Si Corpus conſiderem, ſuperiores, inferiores; anteriores, poſteriores; ſiniſtras, dextraſque partes perſpicue diſtinguo, deque aliquibus, omiſſis aliis, perſpicue cogitare poſſum. Si conſiderem ideam, cui nomen impoſui *miſericordiæ*, videbo eam conſtare ideis miſeriæ, hominis miſeri, alicujus qui ejus vicem dolet, &c. Similes ſunt omnium aliarum Virtutum, ut & Vitiorum ideæ, licet per Mentis Meditationem nobis obverſentur.

9. Hac quidem in parte Logices, dē judiciis non loquemur, verumtamen duo ſunt magni momenti hic obſervanda, circa illas ideas, quæ ad judicia quæ de iis ferimus pertinent. Primum eſt, nos facile in eam opinionem delabi; eſſe aliquid extra nos, quod ſimile ſit ſimplicibus noſtris ideis, & ea corpora quibus præſentibus & ſenſus noſtros afficientibus eæ nobis obverſantur, aliquid conſentaneum ſenſationibus noſtris complecti. Ita colorem in objectorum ſuperficie, odorem in corporibus odoriferis, ſaporem in ſapidis eſſe facile credimus.

10. Verum totum hoc judicium unice eo nititur, quod præſentibus iſtis corporibus, eæ ſenſationes in nobis excitari ſoleant; quæ cauſa ſatis valida non eſt, ut neceſſario ejuſmodi judicium ferendum ſit. Quidni enim poſſet ita inſtitutus eſſe naturæ ordo, ut tantum occaſiones ſenſationum noſtrarum ea eſſent corpora? Si autem hoc ita eſſet, poſſent effectus iſti produci ab alia cauſa, quæ aliquid ſimile in ſe haberet, licet corpora eo carerent. Imo hoc agnoſcamus neceſſe eſt, ſi velimus ſtare alio quodam noſtro judicio, in quod, ubi ſenſationes vividiores ſunt, delabimur. Tum in occaſionibus ſenſationum noſtrarum, quicquam ſimile ſenſationibus noſtris eſſe non credimus. Ubi acu pungimur, nunquam dicimus dolorem eſſe in acu, quod tamen dicere deberemus, ſi conſentanea judicia de objectis ferre volumus: quemadmodum dicimus

mus odorem esse in rosa, colorem in panno, &c. Possemus ita ostendere nos tribuere objectis id quod in nobis est, ut non esset contradictioni locus, verum hoc ad Physicam pertinet; satis hic fuerit observâsse ea judicia esse temeraria.

11. Secundum, quod hoc in loco de ideis simplicibus animadvertere operæ pretium est, pertinet ad definitiones istarum idearum. Nempe, Philosophi Scholastici magno labore conati sunt definire quæ definiri non poterant, quod hoc ratiocinio liquet. Definitio adhibetur, ut ostendatur clarius quam solo rei nomine prolato fit, quid norimus in re aliqua; hic autem id ostendere non possumus, nisi unica voce, quæ nomen est ideæ istius, seu aliis plane synonymis, quarum intelligentia à cognitione Linguæ quâ utimur, & sensu ejus quem alloquimur, pendet.

12. Ita si aliquis non intelligat quid sit *color ruber*, eas voces exprimam synonymis vocibus, si mihi suppetent, aut alia lingua efferam quæ sit ei notior, aut denique oblato ei corpore, quod *rubrum* soleo vocare, dicam: hoc quod sentio, cum id corpus inspicio, *rubrum* me vocare. Verum si quis nunquam simplicem ejusmodi ideam habuisset, neque in se, eodem modo ac ego, excitare posset, omnia verba inutilia forent. Cæco nato nulla definitio ita explicuerit quid sit color, ut vel minimam ejus ideam concipiat. Idem judicium, de reliquis simplicibus ideis, ferri debet.

13. Similiter quis definiat quid sit *esse*, *velle*, *judicare*, nisi synonymis verbis, aut ex alia lingua petitis? *Motus* etiam perperam definitur à Peripateticis: *Actus entis in potentia, quatenus in potentia*, quæ definitio obscurissima est; nec multo clarius à Recentioribus *mutatio situs*, quoniam hæc vocabula non sunt clariora voce *motus*; & præterea inde sequitur, cum aliquis in campo ambulat, non minus campum quam ipsum moveri.

14. Definitio locum tantum habet in ideis compositis, est enim præcipuarum idearum simplicium, quæ in iis continentur, enumeratio. Ita *linea recta* potest definiri,

niri, quia ideis duarum extremitatum, & punctorum variorum inter duas iſtas extremitates certo modo ſitorum, conſtat. Eſt nempe *omnium breviſſima, quæ inter duo puncta oppoſita poſſit duci.* Poteſt definiri *ira*, perturbatio corporis & animi quæ oritur ex præſentia ideæ moleſtæ, alicujus culpa nobis obverſantis. In ira enim eſt, 1. vehemens commotio corporis: 2. animi ardor haud levis: 3. idea moleſta ei obverſans: 4. culpa alicujus, qua fit ut illa idea excitetur. Ita indignamur ob maledicta, in quibus præcipue occurrunt duo poſteriora, quæ & animum & corpus noſtrum commovent.

15. Poſſet hic & tertia animadverſio addi; nempe, nobis utrum omnibus hominibus ſint eædem ideæ ſimplices non conſtare; unde ſequitur plane ἀδύνατον eſſe ſcitu, utrum perfecte nos invicem intelligamus; nam cum ideæ ſimplices ſint compoſitarum materia, ſi idearum ſimplicium nomina ſint æquivoca, nos in compoſitis fluctuare neceſſe eſt. Verum cum hoc ſubtilius eſt, quam ut hîc poſſit excuti, tum etiam ad intelligentiam ſermonis aliorum, quam ad veritatis indagationem potius pertinet.

Caput III.

De Ideis Subſtantiarum & Modorum.

1. Altera ſpecies idearum, animo noſtro obverſantium, eſt *Subſtantiarum* & *Modorum.* Concipimus enim omnia, aut quaſi ſeorſim & per ſe; aut in aliis exiſtentia, ita ut ſine illis exiſtentiam hiſce tribuere nequeamus. Priora *Subſtantias* & *Subjecta*, poſteriora *Modos* & *Accidentia*, vocamus. Exempli cauſa, quando animo obverſantur *cera* & *figura* aliqua, ut rotunditas; ceram concipimus quaſi rem, quæ ſine rotunditate, aut alia ejuſcemodi figura exiſtere poteſt, quia nobis experientia conſtat figuras, ſine interitu ceræ, poſſe mutari. Dicimus itaque ceram eſſe ſubſtantiam. Contra rotunditatem conſidera-

deramus ita quaſi ceræ inhærentem, aut alii cuivis ſubjecto, cui ineſt, ut ſeorſim ſine aliquo ejuſmodi ſubjecto exiſtere nequeat; neque enim rotunditatem exiſtentem ſine corpore rotundo intelligere poſſumus. Hanc ergo *modum*, vel *accidens* ſubſtantiæ vocamus.

2. Si abſtractiones excipias, ſemper conſideramus res quaſi *modificatas*, hoc eſt, ſubſtantias quibuſdam modis veſtitas. Subſtantias & modos ſeorſim conſideratos nominibus, quæ à Grammaticis *ſubſtantiva* vocantur, res vero modificatas *adjectivis* afficimus; ut *cera*, *rotunditas*, *cera rotunda*.

3. Præterea ideas quaſdam compoſitas, quæ modis tantum conſtant, novimus. Et aliæ quidem compoſitæ ſunt quadam ſpecie modorum ſola; ut *Stadium*, quatenus eſt menſura viæ; complectitur enim modos uniformes, nempe, *paſſus* aut *pedes*. Aliæ vero conſtant modis variarum ſpecierum, qualis eſt idea *Iræ*, quam ſupra definiimus, & ideæ affectuum reliquorum, virtutumque & vitiorum.

4. Denique ſunt ideæ compoſitæ collectione variarum ſubſtantiarum ſimilium, quales ſunt ideæ *exercitus*, qui eſt ex pluribus militibus; *civitatis*, quæ conſtat pluribus civibus; *gregis*, qui compoſitus eſt pluribus pecudibus, &c. aut collectione idearum diſſimilium ſubſtantiarum, qualis eſt idea materiæ, qua *domus*, *navis*, *condimentum*, *&c.* conſtant. Atque in hiſce ideis, non tantum ſubſtantiæ, quatenus tales, conſiderantur, ſed etiam quatenus certis modis veſtitæ, unde naſcuntur ideæ valde compoſitæ.

5. Subſtantiæ generatim conſideratæ definiuntur *res per ſe exiſtentes*; ſed tum conſiderantur abſtracte, ſeu non attendendo ad ullam ſingularem ſubſtantiam actu exiſtentem. Eo ſenſu, ſatis quidem clarum eſt quid intelligamus voce *Subſtantiæ*; ſed quia nulla ſubſtantia in genere exiſtit, niſi in ideis noſtris; ubi conſideramus ſubſtantias exiſtentes, res alio modo ſe habet. Subſtantiarum ſingularum ideæ obſcuriſſimæ ſunt, nec quicquam earum nominibus intelligimus, niſi ſubjecta neſcio quæ ignota,

in

in quibus quædam conſtanter coëxiſtunt proprietates. Ita, ſi quæratur à nobis quæ ſit ſubſtantia, quam *corpus* vocamus? nihil erit quod reponamus, niſi eſſe ſubjectum ignotum, in quo *extenſio*, *diviſibilitas*, *& impenetrabilitas* coëxiſtunt conſtanter, adeo ut divelli nequeant.

6. Ne hoc in dubium revocetur, oſtendam vocibus *ſubſtantia extenſa* rem obſcuriſſimam deſignari. Nihil hæ voces ſignificant, niſi ſubjectum ignotum, cujus una proprietas eſt ut conſtet aliis ſubjectis ignotis ſeu ſubſtantiis, juxta ſe invicem poſitis, & ejus naturæ ut nullam ideam habeamus unius ex iis ſubſtantiis, quibus dicimus corpus conſtare. Nullam enim ideam affirmare poſſumus, *eſſe ideam unicæ ſubſtantiæ, qualibus corpora compoſita ſunt*; cum nullam ideam ſubſtantiæ corporeæ habeamus, quæ non innumeras ſubſtantias complectatur. Itaque ſi velimus id quod intelligimus, nomine *corporeæ ſubſtantiæ*, efferre, dicemus eſſe *compagem ignotorum Entium, quorum aliquot proprietates novimus.*

7. Idem judicium ferendum de reliquis ſubſtantiis, *ſpiritualibus* nempe, (an aliæ plures ſint hic non quærimus) videbit quicunque earum ideas diligenter expendet, nec ſe ſinet inanibus vocibus falli. In Mente noſtra, ex qua colligimus ideam naturæ ſpirituum, videmus varias cogitationes; ſed quidnam ſit illud ſubjectum, cui inſunt cogitationes, ignoramus.

8. Novimus quidem Philoſophos ſolere dicere proprietates identificari cum ſubjecto, verum ſemet ipſi fallunt voce *ſubjecti*, quæ, hoc in loco, ambigua eſt, ut oſtendemus, ubi agemus de *ſpeciebus* & *eſſentiis* Entium. Hic tantum obſervabimus Philoſophos, miſſa illa obſcura ſubſtantia, cujus nulla efformabatur ab iis idea, confudiſſe id quod de rei proprietatibus noverant cum intima rei *eſſentia*, nec ullam aliam agnoviſſe eſſentiam, præter ea quæ norant, quaſi omnes rerum internas proprietates cognitas haberent.

9. Utile eſt, ut ad rerum cognitionem, quantum fieri poteſt, perveniamus, diſtinguere in iis ſubjectis, quæ Subſtantiæ à nobis vocantur, ea ſine quibus ſubjecta iſta conciper

cipere poſſumus, ſeu *modos*, ab iis ſine quibus à nobis concipi nequeunt. Hoc autem fit attente de ſubjectis illis cogitando, tum enim quædam eſſe, quæ ſi ſubjectis iſtis eriperentur, à nobis ſubjectorum natura mutata crederetur; alia vero eripi ſubjectis poſſe, eadem manente natura, facile videmus. Attamen hic etiam maximum eſt erroris periculum, quod prætermittunt vulgo Philoſophi, ut oſtendemus ubi de *Generibus* & *Speciebus* agemus.

10. Cæterum modi diſtinguuntur vulgo in *internos*, qui concipiuntur quaſi inhærentes ſubſtantiæ, ut *rotunditas*, *&c.* & *externos*, ut cum rem quampiam *deſideratam*, *amatam*, *conſpectam* dicimus, aliaque ſimilia, quæ *denominationes externæ* & *ſecundæ intentiones* à Scholaſticis, à nobis vero potius *Relationes*, de quibus poſtea agemus, vocantur.

11. Sunt quoque modi, qui ſunt ſimul *ſubſtantiæ*, ut veſtes, capilli, &c. Hi appellantur à Scholaſticis *accidentia prædicabilia*, ſine quibus ſubjectum poteſt exiſtere: cum poſſint quoque ſine ſubjecto eſſe. At *accidentia prædicamentalia* vocant ea, ſine quibus ſubjectum exiſtere poteſt, & quæ ſine ſubjecto exiſtere nequeunt, ut rotunditas.

12. Philoſophi Scholaſtici ita loquuntur de neſcio qua Materia prima, qua conſtant, uti aiunt, omnia corpora, ut eam deſcribant, quaſi ſine attributis ullis, ſeu modis concipi poſſet. Eſt enim *neque quid*, *neque quantum*, *neque quale*, *neque quicquam eorum quibus ens denominatur*. Sed eſt merum figmentum, neque ullam ſubſtantiam ſine modis aut inſeparabilibus, aut ſeparabilibus concipimus; quod unusquiſque deprehendet, ſi ſemet ipſe attente conſulat.

13. Ad ideas vero quod attinet, quas diximus componi modis & ſubſtantiis variè conjunctis, quædam dicuntur *reales*, nimirum quarum Archetypa, ſeu res quarum ſunt ideæ, realiter exiſtunt, aut exiſtere ſaltem creduntur; aliæ vero *rationales*, cum, nempe, volente Mente, variæ ideæ una conjunguntur, ut cum conſideramus baculum

ad

ad ſtellas pertingentem. Hæc dicuntur etiam *Entia rationis*.

14. Cæterum neceſſe eſt in ideis compoſitis diligenter obſervare, quotuplicibus & quam multis ideis conſtent, ut fuſius oſtendemus, ubi ordo nos ad obſcuritatem & perſpicuitatem idearum conſiderandam deduxerit. Quod breviter hic notamus, ne ſolicita illa diſtinctio idearum compoſitarum ex ſubſtantiis & modis, licet vera, ſupervacanea videatur.

CAPUT IV.

De Relationibus.

1. PRæter ſubſtantias, & modos, qui inſunt ſubſtantiis, ſunt quædam denominationes externæ, quæ cum nihil ſubſtantiæ addant, nituntur tamen modo ejus aliquo. Eas vocamus *Relationes*, quibus fit ut conſideratio rei alicujus alius conſiderationem includat. Ita cum *Patrem* aliquem appello, ea denominatio nititur eo quod is, quem hocce vocabulo afficio, liberos procreaverit, & conſiderationem liberorum complectitur.

2. Quælibet idea, ſi eam certo modo expendamus, poteſt eſſe fundamentum relationis, hoc eſt, aliqua ſui proprietate nos ad conſiderationem alius ideæ deducere. Ita quæcunque exiſtunt in Creatorem & Creaturas dividi poſſunt, qui ſunt *termini*, ut vocantur, *correlati*; appellatio enim Creatoris includit cogitationem de Creatura, & vice verſa.

3. Sunt autem innumeræ relationes, poſſunt enim eſſe inter ſubſtantias & ſubſtantias, modos & modos, modos & ſubſtantias, relationes & ſubſtantias, relationes & modos, relationes & relationes. Nam nulla res eſt quæ non poſſit alterius cogitationem excitare, cum pro arbitrio ideæ à nobis conjungantur. Verum iſtis ſubtiliter excutiendis tempus non teremus; quædam potius majoris mo-

momenti, quæ ad relationes in genere conſideratas pertinent, obſervabimus.

4. Sæpiſſime conſideramus quaſi *Abſolutas*, ſeu nullam relationem includentes ideas, quæ neceſſario tamen ad alias referuntur. Ita *magnum* quidquam vocare nequimus, quin idea, quæ reſpondet iſti voci, ſit relativa. Etenim magna, in certa ſpecie, quæ ſunt maxima inter res ejuſdem ſpeciei nobis notas vocamus. *Magnus* eſt *mons*, qui æquat maximos eorum montium quos viderimus. *Profunda* vallis, quæ eſt depreſſa inter eas quas novimus. *Alta* turris, qua multas altiores, in iſto turrium genere, non vidimus. *Longa* via, ad quam conficiendam pluribus opus eſt diebus, quam ad aliam peragrandam : vel etiam quam ſine laſſitudine, pro eo ſtatu in quo ſumus, ætatis, morbi, virium, aliarumque ſimilium circumſtantiarum, conficere nequimus. *Lata* regio eſt, quæ patria noſtra, aut aliis regionibus quas novimus, latior eſt.

5. Ad numerum quod attinet, *ingens* numerus eſt earum rerum, de quibus ſermo eſt, quo multo majores plurimos eſſe ignoramus. *Parvus* eſt vice verſa quo multo minores, in iiſdem circumſtantiis, plurimos eſſe nobis non conſtat. Ita apud Græcos olim *ingens* fuit numerus militum Græcorum, ſi ſexaginta millia militum eſſent, quia raro in Græcia exercitus majores Græcis conſtantes conſcripti ſunt. Contra apud Perſas *ingens* dici non potuit, ſed potius *parvus*, quoniam Perſarum Reges multo majores ſolebant colligere.

6. Si tempus ſpectemus, quicquid *longum* vel *breve* vocamus, ita dicitur cum relatione ad alia. Sic cum *Maſiniſſa* Numidiæ Rex dicitur fuiſſe longævus, quod vixerit ultra XC annos, hoc intelligitur, ſi duratio ejus vitæ cum vita ordinaria eorum qui tum vivebant, & cum vitæ ſolita duratione, etiamnum hodie, conferatur. *Jacobus* Patriarcha, qui vixerat CXXX annos, cum Regem Ægypti allocutus eſt, dies vitæ ſuæ fuiſſe dixit *paucos*; nempe, præ annis, quos Majores ejus vixerant. *Longum* dicitur tempus expectanti, aut ægro, quod occupato & valenti *breve* vocatur.

7. *Grave*

7. *Grave* pondus puero, fœminæ imbecillæ, ſeni, languenti, quod viro robuſto & toroſo *leve* eſt. Levis Clava fuit Herculi, quæ Omphalæ graviſſima erat. Levis haſta Achillis ipſi fuit, quam alius vibrare non potuiſſet. Ægrotanti pondus fit grave, quod eidem valenti leve fuit.

8. Eadem eſt ratio dotium animi. Magnum ingenium, vaſtam eruditionem, tenacem memoriam, ſummam prudentiam, temperantiam, juſtitiam tribuimus viris, qui inter nos, pro more gentis noſtræ, iis excellunt, & qui ſæpe apud alias mediocria omnia habere cenſerentur. Aliud etiam *magna eruditio* in ore hominis imperiti, aliud in ore hominis doctioris ſignificat; apud Doctos enim iſtæ voces multo latius, quam apud ignarum vulgus patent.

9. Denique omnes modi cum Animorum, tum Corporum, qui poſſunt augeri aut minui, ſunt idearum relativarum Prototypa. Atque hoc attente eſt obſervandum, quoniam eſt ingens earum numerus; quæ ſi cum abſolutis ideis confundantur, magnos parient errores, neve aliorum ſermonem intelligere poſſimus impedient.

10. Hic etiam breviter animadvertendum judicia noſtra, nihil aliud eſſe quàm perceptiones relationum inter varias ideas, quibus perceptionibus Mens noſtra acquieſcit. Ita quando judicamus bis 2 eſſe 4, aut bis 2 non eſſe 5, Mens animadvertit relationem æqualitatis quæ eſt inter bis 2 & 4, & relationem inæqualitatis quæ eſt inter bis 2 & 5; cui perceptioni, quippe evidenti, Mens acquieſcit, ſeu non amplius expendit utrum vera ſit. Sed hac de re fuſius, in ſecunda Logices Parte agemus.

11. Ratiocinium eſt etiam ſimilis perceptio relationum, cum Mentis acquieſcentia conjuncta. Verum non eſt perceptio relationum, quæ ſunt inter varias res, ſed relationum quas relationes ipſæ habent inter ſe. Sic, ubi colligo ex eo quod 4 ſit minor numerus quam 6, & bis 2 æquent 4, bis duo minorem eſſe numerum quàm ſex, percipio relationem inæqualitatis quæ eſt inter relationem numeri bis 2 & quaternarii, & relationem quaternarii & ſenarii; cui perceptioni acquieſcens concludo

cludo minorem eſſe numerum ſenario. Verum hæc pertinent ad tertiam & quartam Logices Partem.

12. Hoc paucis animadvertendum duximus, ne inanis videretur diſtinctio illa variarum relationum quam initio attulimus; quoniam niſi hanc teneamus, non intelligimus quid mens noſtra in judicando & ratiocinando agat.

CAPUT V.

De Categoriis Ariſtotelis.

1. QUicquid eſt in nobis idearum ad *Subſtantias*, *Modos*, & *Relationes*, ut unusquiſque experietur, ſi luſtret ideas ſuas, referri poteſt. Hæc variè conjungimus & miſcemus, ut infinita inde naſcatur idearum varietas. Nec ulla eſt adeo compoſita, aut inuſitata, quin ad hæc tria revocari, atque in ea reſolvi queat. Poſſumus itaque omnia Entia, ſi ita videatur, ad tria hæc capita componere.

2. *Ariſtoteli* ejuſque diſcipulis viſum eſt omnia Entia referre ad decem Claſſes, quarum una eſt *Subſtantiæ*, reliquæ *Accidentium*. Si voluiſſent ſimpliciter quædam capita pro arbitrio fingere, de quibus in Logica agerent: hoc unum circa hanc diviſionem queri poſſemus, quod non ſit ſatis commoda. Verum exiſtimarunt ſe omnes regulas legitimæ Diviſionis hîc obſervaſſe, atque inde in Phyſicis deducunt argumenta quaſi ex demonſtratis principiis; unde merito ineptam diviſionem jactari quaſi accuratam, & inde inanes duci conſequentias, queri poſſumus. Eam primum proferemus, deinde quædam vitioſa in ea obſervabimus.

3. Prima *Categoria*, ſeu primum *Prædicamentum*, eſt *Subſtantia*, ſeu res per ſe ſubſiſtens, ad quam referunt ſubſtantiam ſpiritualem, & copoream, & ſub hac collocant viventem, & non viventem; ſub vivente plantas & animalia; ſub non vivente reliqua corpora, & ita porrò

porrò ſubdiviſionibus pergunt omnia in certas ſpecies partiri.

4. Reliquæ Categoriæ ſunt *Accidentium*, ſeu rerum quæ per ſe non exiſtunt. Secunda ergo eſt *Quantitatis*, quæ duplex eſſe dicitur: *Diſcreta*, cum partes ejus nullo vinculo connexæ ſunt, ut numerus: *Continua*, quando ſunt connexæ; eaque ſubdiviſa in *ſucceſſivam*, quales ſunt tempus & motus, & *permanentem*, quæ aliter dicitur ſpatium, ſeu extenſio in longum, latum & profundum.

4. Tertia Categoria eſt *Qualitatis*, cujus Ariſtoteles quatuor ſpecies diſtinguit. Prima eſt *Habituum*, hoc eſt, diſpoſitionum animi & corporis, quæ iteratis actibus acquiruntur, quales ſunt ſcientiæ, virtutes, vitia, artes, &c. Secunda eſt *Potentiarum naturalium*, facultatum, nempe, animi & corporis, ut ſunt intellectus, voluntas, ſenſus, &c. Tertia *Qualitatum ſenſibilium*, ut durities, mollities, calor, frigus, &c. Quarta *formæ viventium & figuræ inanimatorum*, quæ ſunt determinationes externæ quantitatis.

6. Quarta Categoria eſt *Relationis*, quam ſupra definiimus. *Correlata* dicuntur, quorum unum conſiderationem alterius includit, ita ut poſito uno alterum ponatur. Huc facit etiam diſtinctio *Oppoſitorum*, quorum unum eſt cum altero incompatibile, ut *albor* & *nigror*: *Contrariorum*, quæ ita ſunt comparata ut aliquid ſit in natura unius, quod non eſt in natura alterius, ut numeri par & impar: *Diſparatorum*, quorum unum aliis pluribus eadem ratione opponitur, ut *albus color*, *viridi*, *flavo* & *cæruleo*: *Contradictoriorum*, quorum unum alterum plane negat, ut *Deus*, *non Deus*: *Privative oppoſitorum*, ut cæcitas, in animali viſu natura prædito, opponitur viſui.

7. Quinta Categoria eſt *Actionis*, quæ eſt in ipſa re agente, ut *amare*, *movere*; vel in alia admittitur, ut *verberare*, *cædere*, *calefacere*.

8. Sexta eſt *Paſſionis*, quæ verbis paſſivis *verberari*, *cædi*, *calefieri*, &c. exprimitur.

9. Septima

9. Septima τὸ *Ubi*, ſive loci, quæ hujuſmodi locutionibus, *eſſe Amſtelodami, in lecto, in muſæo*, &c. ſignificatur.

10 Octava τὸ *Quando*, ſeu temporis, quæ adverbiis temporis aliiſque ejuſmodi vocibus, ut *olim, nuper, heri*, &c, deſignatur.

11. Nona eſt *Situs*, quæ ſignificatur verbis *ſtare, cubare, ſedere*, &c.

12. Decima denique *Habitus*, ad quam pertinent quæcunque circa corpus habentur veſtitus, aut ornamenti cauſa, ut *veſtis, corona*, &c.

13. Peripatetici de hiſce omnibus ſigillatim agunt, magna ſubtilitate. Axiomata tradunt de Categoriis, iiſque quæ ad eas referuntur, vera quidem illa in plurimis, ſed inutilia dictu, quoniam ſunt omnibus, vel minima vitæ experientia, notiſſima.

14. Cæterum hæc eſt tantum nomenclatura quædam, ad quam Ariſtoteles omnia Entia referri voluit, hauſta ex vulgi locutionibus, niſi quod nova appellatione Κατηγορίαι vocatæ ſunt omnes hæ claſſes. Itaque nihil inde diſcas, niſi quo nomine Entia Ariſtoteles affecerit, quæ cognitio tanti non eſt, ut propterea tempus utilioribus ſtudiis collocandum teratur.

15. Deinde quare Ariſtoteles *Subſtantiam* in genere memorat, nulla ejus addita ſpecie; *Accidente* vero in genere omiſſo, novem ejus tradit ſpecies? Debuiſſet etiam, ſi accuratus eſſe voluiſſet, omnes Accidentium ſpecies memorare, non quaſdam tantum pro arbitrio ſeligere. Omiſit autem, exempli cauſa, *quietem*, accidens corporum; *judicia, dubitationes*, aliaque accidentia ſpirituum, quæ nequeunt referri ad haſce claſſes. *Univerſales* etiam *ideæ* non continentur hiſce Categoriis, ut *ſpecies, genus, differentia*, &c. Igitur ea diviſio nequaquam diviſio adæquata eſt, ac proinde accurata haberi nequit.

CA-

CAPUT VI.

De Ideis quæ ſine ulla Mentis operatione ei obverſantur, & iis in quibus efformandis intercedit aliqua Mentis operatio.

1. SUnt ideæ quædam, quæ à Mente tantum conſiderantur, ſine ulla additione. Ejuſmodi ſunt ideæ ſimplices omnes, quæ nullatenus pendent à Mentis arbitrio, ſuntque ſeu velit, ſeu nolit, ſemper eædem. Ita in dolorem vel voluptatem nullum imperium habet; & reliquas ideas ſimplices, quas ſupra memoravimus, ejus naturæ eſſe experitur, ut ſi quid detrahere nitatur, pereant prorſus; ſi quid addere velit, incolumi earum ſimplicitate, non faciat.

2. Ad eandem claſſem referri poſſunt compoſitæ ideæ quæ, etiam nobis non cogitantibus, ſeſe Menti ingerunt; quales ſunt ideæ rerum exiſtentium, quæ res ſenſus noſtros afficiunt, & certas ſui ideas in Mente noſtra excitant.

3. Hæ ideæ *reales* dicuntur, quod à rebus exiſtentibus extra nos proficiſcantur. Contra ſunt quædam ideæ compoſitæ, quæ aliunde ad Mentem non appellunt, ſed ab ea pro arbitrio componuntur. Ita conjungendo ideas dimidii corporis humani & dimidii equini, idea *Centauri* formatur; quod non aliter fit, quàm Mente volente Centauri imaginem ſibi obverſari, vel conſiderante ſimul corpus humanum à cingulo ad caput, & corpus equinum reſecto capite. Ea enim vis Mentis noſtræ, ut quævis, quæ non ſunt contradictoria, connectere contemplatione, & quicquid videtur omittere poſſit. Hæ ideæ ita compoſitæ à Mente vocantur *Phantaſticæ*.

4. Quemadmodum Mens conjunctim contemplari quæ realiter, ſeu extra ipſam conjuncta non exiſtunt: ita

etiam diviſim conſiderare, ea quæ diviſim non exiſtunt, poteſt. Atque ejuſmodi contemplatio, quæ vocatur *abſtractio*, ad ideas compoſitas accurate expendendas, utiliſſima eſt. Si enim paulo ampliori numero partium conſtent, eas omnes videre ſimul animo diſtincte non poſſumus; itaque conducit eas ſigillatim, omiſſis aliquantiſper aliis, expendere poſſe.

5. Abſtractio autem fit, tribus potiſſimum modis. Primo, Mens partem alicujus rei realiter ab ea diſtinctam, ut brachium hominis, omiſſa contemplatione reliqui corporis, poteſt intueri. Verum hæc non eſt proprie dicta *abſtractio*, quia brachium eſt, etiam ſine interventu Mentis, à corpore ſeparatum; licet ita vivere, hoc eſt, ali, augeri ac moveri non poſſit.

6. Secundo, per abſtractionem cogitamus de modo ſubſtantiæ, omiſſa ipſa ſubſtantia, vel modos ſimul in eodem ſubjecto exiſtentes ſigillatim conſideramus. Hac abſtractione utuntur Geometræ, ubi conſiderant ſeparatim longitudinem corporis, quam vocant *lineam*, plane omiſſa latitudine & profunditate; dein longitudinem & latitudinem tantum, quas conjunctim vocant *ſuperficiem*. Ita quoque per abſtractionem à motu diſtinguere determinationem motus, verſus certam partem, poſſumus.

7. Tertio, per abſtractionem omittimus modos & relationes rei cujuſdam ſingularis, ſi inde univerſalem ideam efformamus. Ita, ubi volumus intelligere *rem cogitantem* in genere, ex noſtra ipſorum conſcientia colligimus quid ſit cogitare, & omiſſa conſideratione eorum, quæ peculiariter ad Mentem noſtram pertinent, cogitamus de re cogitante in genere. Ita ideæ ex ſingularibus fiunt univerſales.

8. Circa memoratas in hoc Capite ideas hæc ſunt obſervanda, ne male de iis judicemus. Primo, ideæ quæ ſine mentis operatione ſeſe ei ingerunt, neceſſario ab externa aliqua cauſa excitantur, & Menti objiciuntur quales ſunt. Sed cavendum ne putemus ſemper in iis rebus, à quibus videntur excitari ideæ, eſſe aliquid ideis ſimile; quia, ut alibi diximus, forte non ſunt veræ cauſæ

à quibus

à quibus producuntur ideæ, ſed tantum occaſiones. Suſpicionem hanc maxime augere debet quod in ſomniis experimur, ubi ex occaſione motus cerebri in nobis imagines rerum quæ præſentes non ſunt, & ſæpe nuſquam exiſtunt excitantur. Itaque hoc unum ſemper ex ejuſmodi ideis, cauſam & occaſionem earum extra Mentem noſtram exiſtere, colligere poſſumus.

9. Secundo loco, circa ideas à Mente compoſitas, niſi manifeſto nobis conſtet experientia nunquam eas conjunctim extitiſſe, facile primum poſſe talium idearum Archetypa exiſtere, deinde etiam eſſe re ipſa in animum inducimus. Ita poſtquam Peripatetici conjunxerunt Mente in omnibus compoſitis ideis rerum corporearum, ideam abſtractam *materiæ* (ſi idea poſſit vocari quod eſt mere negativum) cum idea abſtracta *formæ*, ſeu neſcio cujus ſubſtantiæ, per quam, ut aiunt *res eſt id quod eſt*, quibus, inſtar ſubjecti, ineſſent variæ proprietates; aliquid tale eſſe quod nullibi exiſtit, niſi in eorum ideis, contenderunt.

10. Imo etiam ideas ſimplices abſtractas ſeorſim exiſtere putarunt Scholaſticorum nonnulli. Ita per abſtractionem cogitarunt de *Humanitate*, omiſſa hominis conſideratione, & inde concluſerunt Humanitatem eſſe aliquid realiter exiſtens, in ſingulis hominibus, ab iis diſtinctum; adeo ut dixerint *Petrum*, exempli gratia, eſſe *concretum* (ita vocatur quod *abſtracto* oppoſitum eſt) atque ex duabus abſtractis naturis *Petreitate*, quæ ei peculiaris eſt, & *Humanitate*, quam habet cum reliquis hominibus communem, conſtare.

11. Hinc quoque factum ut Phyſici contenderint dari *puncta*, ſine partibus; quia talia, per abſtractionem, docendi cauſa à Mathematicis finguntur; & eandem ob rationem, exiſtere *lineas* punctis conſtantes ſine latitudine & profunditate, *ſuperficieſque* etiam ſine profunditate, quæ tamen demonſtrationibus oppoſita ſunt.

12. Ab alio etiam cavendum hic eſt peccato, in quod frequenter delapſi ſunt, alioſque ſecum traxerunt Scholaſtici Nempe poſtquam per abſtractionem quædam di-

ſtinxiſſent, ea tanquam revera diſtincta, & quaſi ſeparata Entia, reputarunt. Sic poſtquam per abſtractionem diſtinxiſſent Intellectum, & Voluntatem ab ipſa Mente humana; dein in Intellectu conſideraſſent id quod fit ubi ei obverſantur ideæ, de quarum veritate aut falſitate judicium ferendum eſt, aut ubi quæritur quid agendum ſit, diſtinxiſſentque Intellectum *theoreticum* à *practico*; ita locuti ſunt quaſi non modo tres eſſent in Mente diſtinctæ facultates, ſed etiam quaſi Entia diverſa tria Mentem conſtituerent, & varia axiomata, juxta quæ de Intellectuum iſtorum & Voluntatis actionibus loquerentur, finxerunt.

CAPUT VII.

De Ideis individualibus, particularibus & univerſalibus.

1. QUod de Abſtractionibus diximus, ad conſiderationem idearum, quatenus Individuales, Particulares, ac Univerſales ſunt nos deducit, etenim ex individualibus, particulares ac univerſales per abſtractionem fiunt; qua in re hac ratione procedimus. Si noſmet ipſi conſideremus, aut aliquem hominem nobis obverſantem Mente contemplemur, tum obverſatur nobis *idea individui*, ſeu *idea individualis*. Si vero, omiſſis iis quæ mihi & iſti homini ſingularia ſunt, quæ nobis communia ſunt cum aliquot hominibus animo verſem, qualia ſunt natum eſſe ſub eodem cœlo, eadem placita fovere, & ſimilia; tum *idea particularis* gentis, aut familiæ alicujus animo meo ſe offert. Denique ſi, ne iſtis quidem, quorum mecum participes ſunt aliquot homines, conſideratis, de iis quæ mihi cum toto genere humano communia ſunt cogitem, eſt in animo meo *idea univerſalis*.

2. Nomina, quibus individuales ideæ ſignificantur, dicuntur *propria*, ut *Alexander*, *Cæſar*; ea vero quibus ideæ

ideæ particulares & universales exprimuntur, *appellativa*, ut *Gallus*, *Christianus*, *Homo*.

3 Porro in istis ideis possunt distingui *Proprietates*, quas in iis constanter unitas videmus, & *Subjecta* externa ideis istis consentanea, seu cum quibus ideæ conveniunt. Ita in idea hominis, videmus Mentem cogitantem, & Corpus certis organis constans, ea autem idea competit Europæ, Asiæ, Africæ & Americæ incolis.

4. Philosophi quinque potissimum ideis abstractis, quæ possunt prædicari de omnibus subjectis nobis notis, *Universalium*, vel *Prædicabilium*, nomen attribuerunt; postquam eas, per abstractionem, formarunt.

5. Prima idea vocatur *genus*, & proprietates quæ conveniunt multis ideis universalibus significat, sed quæ minus late patent. Ita *Ens* convenit *Substantiæ* & *Accidenti*, quæ sunt ideæ universales quidem, sed arctiores quam idea Entis; nam omnis quidem substantia est Ens, sed non omne Ens substantia est.

6. Secunda dicitur *Species*, quales sunt *Substantia* & *Accidens*, quæ sunt species Entis. Hæ autem ideæ, respectu universaliorum idearum, species; respectu minus universalium, genera vocantur. Sic Accidens est species respectu Entis, genus vero respectu *internorum* & *externorum* accidentium, de quibus supra diximus. Observandum tamen esse quandam speciem, quæ infima dicitur, & quæ continet *individua*, seu singula subjecta, ut *circulus*, qui tantum circulos individuos ejusdemque speciei sub se habet.

7. Tertia idea est *Differentia*. Nempe, uti nullum Ens notum est, quod non habeat aliquid commune cum aliis: ita nec ullum est, quod non aliqua proprietate differat ab aliis. Ea autem proprietas *differentiam* constituere dicitur. Cum distinguit speciem ab aliqua alia specie, vocatur *specifica*; cum vero individua tantum ejusdem speciei ejus ope distinguuntur à se invicem, *numerica* dicitur. Differentia ab una proprietate præcipua, vel ab aliquot præcipuis petitur. Ita differentia specifica circuli, qua distinguitur ab omnibus aliis figurarum speciebus, est

habere circumferentiam æqualiter undequaque à centro distantem. Numerica vero circuli alicujus est magnitudo, situs, res cui inhæret, aut alia similia, quæ plura quando unum non sufficit, conjunguntur.

8. Quarta idea est *Proprium* desumptum ex aliquo attributo rei, quod minus præcipuum judicatur. Ita proprium circuli est *non posse quadrari*, seu mensurari eadem mensura toties repetita, quoties repetetur in mensuranda quadrata figura. *Proprium* porrò, ex sermone vulgi, observatum est quadrupliciter dici: 1. Proprium *quod convenit omni, & soli speciei, sed non semper.* Omnes homines, & quidem soli *loquuntur*, sed non semper. 2. *Quid convenit soli, sed non omni*; ita homini convenit soli *Medicum*, *Jurisconsultum* esse, licet omnes homines eas disciplinas non profiteantur. 3. *Quod convenit omni, sed non soli*; ut *cogitatio*, quæ convenit omni homini, sed non soli. 4. *Quod convenit omni, soli & semper*; ut constanter in omnibus, & solis circulis, omnes lineæ à centro ad circumferentiam ductæ sunt æquales.

9. Quinta dicitur *Accidens*, qualia sunt omnia ea attributa rerum, sine quibus attributis res existere posse à nobis intelliguntur; seu ea attributa sint substantiæ, ut *capilli*, sine quibus homines existere queunt; seu modi substantiis inhærentes, ut rotunditas respectu ceræ.

10. Multa subtiliter Philosophi de hisce Universalibus disputant, quæ vel si vera essent, inutilia forent ad nos ad veritatem tutius deducendos. Ideo à nobis omittuntur, qui satis ducimus præcipuas opinionum istarum nosse; cum nulla vita satis longa futura esset, si quis omnium Philosophorum nugas excutere accurate vellet.

11. Observabimus potius, quæ dicuntur de quatuor primis Universalibus, ea niti hac opinione, *rerum quæ ad ea referuntur Essentias esse notas*; quod sine animadversione prætermittendum non est. Sunt enim sine dubio in rebus omnibus *Essentiæ, per quas sunt id quod sunt*, ut loquuntur Metaphysici; sed fere nobis ignotæ sunt.

12. Novimus quidem in rebus, quas sub certis Generibus & Speciebus collocamus, varia attributa, unde

id

id quod præcipuum videtur ſeligimus, in eoque ſitam rei eſſentiam dicimus. Ita dum deprehendere nitimur quid in Mente noſtra ſit, nec aliud præter cogitationes varias in ea animadvertimus, dicimus Eſſentiam ejus in *Cogitatione* ſitam eſſe, quia eſt præcipuum attributum quod in ea deprehendimus. Verum inde nos revera in intimam Mentis eſſentiam penetraſſe, non ſequitur; primo, quia infirmum eſt hoc ratiocinium: *Nihil amplius in re iſta video, Ergo nihil eſt præterea*, niſi aliunde mihi conſtet cognitionem meam naturæ rei eſſe adæquatam; quod, reſpectu ſubſtantiarum, nulli conſtat. Secundo, cum cogitationes ſint modi, quæritur ſemper cui ſubjecto inhæreant; cui objectioni nunquam ſatisfecerunt Carteſiani.

13. Cum eadem ſit ratio ſubſtantiarum reliquarum, quemadmodum de corporeis alibi oſtendimus; inde ſequitur, quando eas, juxta *eſſentias* ipſarum, in certas ſpecies certaque genera diſtribuimus, non juxta intimas eſſentias nobis ignotas, ſed proprietates quas in iis deprehendimus, id fieri. Itaque tota illa diſtributio ſubſtantiarum, in genera & ſpecies, admodum nobis debet eſſe ſuſpecta; quoniam forte ad diverſas ſpecies ea quæ eandem habent intimam eſſentiam, quod diverſas in iis animadvertamus proprietates, referimus. Quod idem eſt ac ſi quis varias ſpecies hominum fingeret, ex eorum veſtibus.

14. Non poſſunt dici *proprietates identificari cum ſubjecto*, ubi de ſubſtantiis ſermo eſt, ſi ea propoſitione ſubjectum illud ignotum cui inſunt ſignificetur. Etenim de re nobis incomperta, nihil affirmare licet. Sed ſi voce *Subjectum* intelligamus id quod novimus, tum verum erit Axioma; at hoc unum inde ſequitur nos ſubjecta certo ordine, prout nobis ſunt nota, non juxta eorum ignotam naturam, collocare; ac proinde ex hiſce diviſionibus, contra quam faciunt Philoſophi, de eadem intima & ignorata natura, nihil poſſe colligi.

15. Alia eſt ratio Modorum ſimplicium, quorum integram eſſentiam novimus, & compoſitorum, quos

pro arbitrio copulamus. Poſſumus, exempli cauſa, omnes Geometricas figuras ad certa genera certaſque ſpecies referre. Poſſumus etiam Virtutum, & Vitiorum varias conſtituere claſſes, quoniam ſunt modi compoſiti ab ipſa Mente, quæ collectionum iſtarum eſſentiam, quacunque in re velit, collocare poteſt.

Πῶς ἐγνώκατε τὰ εἴδη, καὶ τοῖς χαρακτῆρσιν διεγνώκατε;

Greg. Nazianz. Or. XXXIV. p. 552.

CAPUT VIII.

Errores ex vulgari de Univerſalibus doctrina nati.

1. PRæter errores in antecedente Capite notatos, ortoſque ex Peripatetica de Univerſalibus doctrina, quidam alii indidem provenientes, quia latiſſime patent, & innumeros alios ex ſe procreant, digni viſi ſunt de quibus paucis ageremus.

2. Primus eſt, nos fruſtra ac temere omnia Entium genera nobis nota eſſe exiſtimare, unde fit ut audacter affirmemus omnes ſubſtantias eſſe aut *Cogitantes*, ſeu *Spiritus*, ut eſt noſtra Mens; aut *Extenſas*, ſeu corpora; quia, nimirum, nullas alias novimus, quaſi vero noſtra cognitio divinæ ſit potentiæ menſura! Fatendum quidem nos non poſſe contrarium aſſeveranter affirmare, ſaltem de Creaturis; at certe eos temerarios eſſe, qui omnes creatas ſubſtantias ad hæc duo genera referunt, videmus.

3. Veteres & recentiores Peripatetici contra, hac in re, nimium Dialecticis, ſeu abſtractis ideis crediderunt, ubi præter iſtas duas Subſtantiæ ſpecies, neſcio quas Naturas exiſtere dixerunt, ab iis prorſus diſtinctas, in unaquaque re, de quibus ita locuti ſunt quaſi eas probe noſſent,

ſent, quod nominibus quibuſdam Logicis eas afficere ſolerent, qualia ſunt, *Actus*, *Potentia*, *Qualitas*, &c. Si ſimpliciter affirmaſſent, ſe ope extenſionis, & cogitationis non poſſe omnia Naturæ phænomena explicare, potuiſſet hoc ferri; modo aperte ſe ignorare unde proficiſcantur faſſi eſſent.

4. Qui Carteſii dogmata ſequuntur, duobus hiſce ſubſtantiis ſuppoſitis, putant ſe omnia expedire poſſe; ſed ab iis non intelligi quid ſit *ſubſtantia extenſa*, niſi per abſtractionem, alibi oſtendimus; nec difficulter *ſolioditatem*, quæ extenſionis individua comes eſt, eſſe ἀκαταλήπτον probare poſſemus; verum hoc ad Phyſicen pertinet.

5. Peccant quoque, eadem ratione, qui inde colligunt Deum eſſe *Spiritum*, qualis eſt noſtra Mens. Hoc enim unum de Deo novimus, proprietates reales rerum omnium in ejus natura, tam corporum, quam ſpirituum, contineri; cum enim unica ac totalis cauſa ſit exiſtentiæ omnium ſubſtantiarum, ea omnia in ſe habet, quæ iis dedit, juxta indubitatum axioma, *nemo dat quod non habet*. Deus ergo Ens eſt, quod proprietates corporum & ſpirituum, & forte plurium aliarum ſubſtantiarum, quæ nos latent, complectitur.

6. Secundus error Philoſophorum, qui inde fluit, quod ſibi intimam rerum eſſentiam notam eſſe putent, ſitus eſt in hoc Axiomate: *Eſſentiæ rerum conſtant in indiviſibili*, adeo ut eis nihil addi, nihil detrahi poſſit, quin pereant. Cujus rei ratio eſt, quod ideæ eſſentiarum Philoſophicarum, ſint abſtractæ quædam ideæ ſimpliciſſimæ, quæ mutationem nullam ferunt, ut, exempli cauſa, *Extenſio in genere*; in hanc enim non cadit plus, aut minus; quicquid extenſum eſt non eſt minus extenſum quam aliud, licet ſit amplioris aut arctioris quantitatis. Verum ejuſmodi ideæ abſtractæ nullibi ſunt, niſi inter ideas; neque eſſentiæ reales, Entium actu exiſtentium, poſſunt conſtitui.

7. Igitur aut falſum, aut ſaltem temerarium eſt, quidquid affirmatur de *Eſſentiis* apud Scholaſticos, niſi de *ideaſibus*

libus eſſentiis, quas tantum in animo habent, & quas ipſi efformarunt, confunduntque eum realibus, intelligatur.

8. Iidem colligunt à corporibus, exempli cauſa, quibuſdam eandem eſſentiam individuam, quod ſimilia in iis occurrant attributa, poſſideri. Ita omnes laminæ *aureæ* eandem habent eſſentiam indiviſibilem, per quam aurum eſt aurum. At re vera in duabus laminis *aureis*, ſeu quæ *aureæ* vocantur, licet cernantur quædam attributa ſimilia, temerarium eſt ea prorſus eſſe eadem, quia diſcrimen non animadvertimus ullum, affirmare. Non novimus ſubjectum illud ignotum, in quo coëxiſtunt auri proprietates nobis notæ, ut *fulvus color*, *malleabilitas*, ſeu *ductilitas*, *fuſibilitas*, *fixitas*, &c, ac proinde temerarium eſt quidquam de eo affirmare, aut negare incompertum. Manifeſtum eſt idem judicium ferendum de ideis ſubſtantiarum omnium; de quibus nemo affirmare queat ad quam ſpeciem *realem* (non dico *idealem*) pertineant.

9. Verum Philoſophi veteres, qui hoc unum ſpectabant, ut ii quos in diſciplinam accipiebant quam primum de omnibus audacter loqui poſſent, iſtas immutabiles ſpecies, ad quas ſine hæſitatione omnia referrent, invenerunt. Nam cognito uno eorum, quæ ad ſpeciem iſtam referuntur, de omnibus ejuſdem ſpeciei loqui poterant. Contra vero ſi alia invaluiſſet opinio; nempe, intimas rerum eſſentias ignotas eſſe, neque eas in ſpecies & genera poſſe diſtribui; confugere Philoſophos oportuiſſet ad ſolam experientiam, quæ attributorum quorumdam cognitionem nobis impertitur; ſed longo labore & tempore opus erat, ut ea in re vulgares cognitiones ſuperarent. Itaque diu, priuſquam cæteris doctiores videri poſſent, tacendum fuiſſet.

10. Obſervandum tamen eſt eos, poſtquam multa confidenter de ſpeciebus ſuis idealibus, dixerunt, nullo negotio poſſe ex confidentia iſta dejici. Dicunt, exempli cauſa, *rationabilitatem*, eſſe differentiam ſpecificam Hominis, & putant nihil eſſe quod opponatur. Non jam dicam eam proprietatem pertinere tantum ad Mentem; ſed ſi quæreres ab iis utrum hominem agnoſcerent eum,

cui

cui rationabilitate prædito eſſet caput equinum? Reſponderent illico *monſtrum* eſſe, non hominem; itaque rationabilitas non eſt differentia ſpecifica, quoniam licet adſit hominem non conſtituit.

11. Si rurſus quæram quid *monſtrum* vocent? quicquid reſponſi accipiam eo redibit ut id à ſe monſtrum vocari, quod non eſt ita diſpoſitum, ut ſolent ſpecies animalium eis notæ, dicant. Si tertio ſciſcitur quænam mutatio requiratur, ut aliquod animal monſtrum vocetur, leviſne differentia ſufficiat, an magna requiratur? vix ac ne vix quidem definient, quo uſque poſſit animalis diſpoſitio mutari, antequam monſtrum dici queat; unde ſpecierum ipſarum idealium, ubi de ſubſtantiis agitur, terminos nondum eſſe ſatis diſtinctè conſtitutos, liquet.

12. Obſervatu quoque hanc in rem dignum eſt, licet claſſes inventæ ſint generum, & quædam ſpecies infimæ, qualis eſt hominum ſpecies, differentia ſpecifica deſignatæ; plerarumque tamen differentias nondum eſſe inventas à Philoſophis; quod, nempe, res majoris eſſet laboris, nec exoptata inde loquendi facultas ſatis cito proveniret. De animalibus in genere multa dixere Philoſophi, ſed de infimis animalium ſpeciebus vix quidquam. Docent nos quodnam ſit diſcrimen, juxta ſua principia, inter plantam & animal; ſed non attingunt, exempli cauſa, differentiam ſpecificam *felium* & *canum*, *laurorum* & *malorum*. Hic utuntur deſcriptionibus proprietatum quas norunt, ſi loqui adigantur, neque audent indiviſibilem illam eſſentiam definire infimarum ſpecierum, in quibus abſtractiones metaphyſicæ locum non habent.

13. Tertius Philoſophorum error, quem hic notabimus, in eo ſitus eſt quod proprietates eaſdem variis reſpectibus conſideratas, diverſiſque inſignitas nominibus, ita diſtinguant & diſponant, ut eandem proprietatem ſeipſa aliter appellata priorem, hoc eſt, ſui ipſius originem, faciant. Ita in corpore diſtinguunt tres proprietates, *extenſionem*, *diviſibilitatem*, & *impenetrabilitatem*, quæ ſane animi præciſione poſſunt diſtingui, ita ut de uno tantum horum reſpectuum cogitemus, omiſſis aliis, ſed

hac

hac diſtinctione poſita, aiunt *extenſionem* eſſe *diviſibilitate & impenetrabilitate* priorem, cum tamen tres iſtæ relationes hoc uno nitantur fundamento, quod corpus habeat varias partes, & in hoc unum, quando explicantur, reſolvantur attributum.

CAPUT IX.

De Perſpicuitate & Obſcuritate Idearum.

1. UT de idea aliqua certum feramus judicium, ante omnia requiritur ut ſit perſpicua; alioqui de re ignota aut non ſatis perſpecta, ſi verum feratur judicium, id caſu potius fit quam ſapientia. Igitur perſpicuitas & obſcuritas idearum, dignæ ſunt, quæ in hac noſtra Logica, ſine animadverſione, non prætermittantur.

2. *Clara* dicitur idea, cum quicquid complectitur nobis diſtincte animo obverſatur, ita ut ab omnibus aliis facile diſtingui queat. Quidam diſtinguunt ideas *diſtinctas* à claris, & claras vocant eas quæ vivide nos percellunt; diſtinctas, quæ nihil habent obſcuritatis. Verum apparebit ex ſequentibus, neceſſe non eſſe ut ejuſmodi diſcrimen ullum ſtatuamus, hoc quidem in loco.

3. *Claræ* ſunt omnes ideæ ſimplices, quales ſunt ſenſationes. Ita ſenſatio lucis ejuſmodi eſt; etenim cum ea percellimur, quicquid in ea eſt videmus, nec eam cum ulla alia idea confundere poſſumus. Idem dixeris de ſonitu, de odore, de ſapore, de voluptate, de dolore, &c. quæ nunquam invicem confunduntur. Atque hæ quidem ſenſationes eo clariores ſunt, quo vividiores; cum enim vehementius Mens percellitur, magis attendit, & clarius ejuſmodi ideam vividam ab omnibus aliis diſtinguit.

4. Viri eruditi has ideas eſſe *confuſas*, ut loquuntur, contendunt, quia nimirum eas definire non poſſumus. Sed hoc ſummæ perſpicuitatis, ut ſupra vidimus, indicium eſt. Addunt nos judicare, exempli cauſa, colo-

res

res esse superficiei objectorum illitos, odores & sapores inesse rebus odoratis & sapidis, dolorem & voluptatem esse in corpore; quod tamen veritati consentaneum non est, unde concludunt confusas esse ideas earum sensationum. Verum ea observatio non ostendit confundi ideas hasce aut inter se, aut cum aliis; sed eas collocari in subjecto in quo non sunt, quod ad ideæ seorsim consideratæ perspicuitatem nihil attinet. Unde talia oriantur judicia, indicabimus in Physica.

5. Perspicuæ etiam sunt ideæ simplices, quæ sine corporis interventu Menti obversantur, quarum exempla supra Cap. II. attulimus. Quemadmodum autem per abstractionem possumus ideæ compositæ partes seperatim contemplari; ita ut simplices ideas, quibus constat, sigillatim expendamus: sic etiam abstractæ ideæ sunt perspicuæ, etiamsi subjectum in quo existunt sit ignotum. In substantiis omnibus, quarum aliquot novimus proprietates, possumus seligere aliquam proprietatem, quæ per abstractionem ab omnibus aliis sejuncta simplex evadit, adeoque clara, licet in ignoto subjecto existat. Ita *Humanitas*, in genere considerata, sit simplex idea, ideoque indivisibilis; unde factum, ut monuimus, ut Philosophi essentias indivisibiles esse dixerint; quod de idealibus essentiis, non de realibus verum est. Proprietates enim, quæ hominem constituere dicuntur, non magis sunt in uno homine quam in altero; vel, ut clarius loquar, *Ratio* in genere considerata, quæ eadem censetur ac *Humanitas* in genere, non minus in Davo, quam in Oedipo, fuit.

6. Verum eædem ideæ fiunt sæpe obscuræ, ubi sine abstractione mixtim cum aliis obscuris, quibuscum in subjecto coëxistunt, considerantur. Ita ubi quæritur, non quid sit Humanitas, aut Ratio in genere, sed quid sit Ratio in Davo, aut Oedipo existens, & quæ sit ejus differentia numerica, tum aqua hæret Philosophis, nec quicquam nisi nescio quid prorsus ignotum vocibus designant *Oedipitatis*, & *Davitatis*; sic enim, ex Grammaticæ scholasticæ analogia, loqui licet.

7. Pec-

7. Peccarunt ſæpe Scholaſtici in eo quod abſtractam ideam, quaſi exiſtentem in ſubjectis conſiderârint, ut jam monuimus. Atque inde factum ut ideam claram habere ſe crediderint ſubſtantiarum, ex quibus, animi præciſione, illam abſtraxerant. Idem factitârunt Recentiores, qui quia naturam extenſionis in genere & abſtracte conſideratæ intelligunt, putant ſe intimam omnium corporum naturam introſpexiſſe. Verum, ut alibi oſtendimus, ubi ad rem ipſam ventum eſt, non poſſunt quid ſit res extenſa, ſine abſtractione conſiderata, dicere.

8. Si ad ideas Compoſitas nos convertamus, deprehendemus eas eſſe claras, quarum partes omnes, ſeu ſimplices ideæ quibus conſtant, diſtincte nobis animo obverſantur. Obſcuræ vero dicuntur eæ, quarum partes tantum quaſdam animadvertimus. Ita certo ſcimus quid numerus aliquis contineat, quando omnes ejus unitates tenemus; ſin vero aliquot tantum numeraverimus, neſcimus quantus ſit, confuſamque ejus ideam habemus.

9. Itaque quandocunque aliquid expendendum nobis eſt, primum ſunt in eo diſtinguendæ partes omnes, ſi quæ ſint, dein judicium ferendum. Alioquin æque incerta eſſent judicia noſtra, ac ea forent quæ ferrentur de magnitudine ſummæ alicujus, multis aliis conſtantis, quarum numerum neſciremus, neque magnitudinem. Verum hac de re fuſius, in tertia Logices Parte, ubi de Methodo agemus.

10. Quod ſi in iis, quæ nobis expendenda occurrunt, non poſſimus ſatis partes à ſe invicem diſtinguere, earumque certam enumerationem inire; tum fatendum eſt aut ea non eſſe inter eas res, quas homini cognoſcere licet; aut ampliori examine ut pernoſcantur, opus eſſe. Exempli gratia, nullius ſubſtantiæ omnes proprietates, intimamque naturam nobis innoteſcere antea oſtendimus; unde de ea re judicium ferri non poſſe, colligere eſt. Si vero quæſtio aliqua arithmetica ſolvenda proponatur, quæ requirat longiorem ſupputationem; aut quævis alia quæſtio, quæ ut expendatur tempore indigeat, non eſt præpoſtero pudore illico, ne videamur aliquid ignorare, reſpon-

reſpondendum. Pudendum non eſt aliquid neſcire, quod nunquam ad examen revocavimus; ſed pudendum eſt id velle videri ſcire, quod re ipſa ignoramus.

11. Multum porro conducit perſpicuitati ideæ, aut à nobis aut ab aliis compoſitæ, ſi partium quibus conſtat idem ſemper numerus, idemque ordo ſit. Alioqui, ſi augeatur aut minuatur numerus idearum ſimplicium, quibus compoſita conſtat, aut earundem invertatur ordo; memoria, ipſeque adeo animus perturbatur. Ita ſi quis ſimul ſummas aliquas diligenter ſupputarit, certoque ordine ſtatuerit, quotieſcunque eas recognoſcere vult, nullo negotio id facit, modo nulla in iis mutatio interceſſerit: contra vero præterita ſupputatio & diſpoſitio, ſi perturbentur numeri, aut ordo, irritæ fiunt.

12. Cæterum ea eſt natura perſpicuitatis, ubi ſumma eſt, ut aſſenſum noſtrum neceſſario eliciat. Non poſſumus vel minimum quin dolor diverſus ſit à voluptate, quin bis duo ſint quatuor, dubitare. Contra obſcuritas ſi quæ ſit in ideis noſtris, animadvertimus in nobis facultatem cohibendi judicii, quod ſentimus à nobis coërceri poſſe, donec res perſpicua facta ſit; licet paſſim contingat ut obſcuris aſſenſum temere præbeamus, ſed liberum; cum liberum non ſit ſummæ perſpicuitati aſſenſum negare. At iſta ad ſecundam Logices Partem pertinent.

Caput X.

De Ideis Adæquatis & Inadæquatis.

1. Supra Cap. 1. §. 9. ideas eſſe imagines quaſdam rerum, quæ extra nos ſunt, & quarum aut vi, aut occaſione in nobis excitantur, diximus. Poſſunt autem integræ rei illius, à qua excitantur, vel partis duntaxat imagines eſſe. Quando totam referunt, eas *adæquatas*; quando non totam, *inadæquatas* dicimus. Ita, ſi obver-

obverſante mihi cubo, videam tantum unam ex ejus faciebus, ſuperficiem nempe quadratam, tum idea figuræ quadratæ mihi obverſatur, non cubicæ, ideoque inadæquata dicitur. Contra ſi triangulo in charta deſcripto, & ante oculos meos poſito, cogitem de triangulo plano, ideam adæquatam trianguli illius animo præſentem habeo.

2. Omnes ideæ ſimplices ſunt adæquatæ, quoniam Facultatem, quæ eas excitat, quæcunque ea ſit, totam repræſentant. Ita dolor, quem ſentio, eſſe aliquam extra me Facultatem Entis cujuſpiam, quæ eum me invito in me excitat, ſignificat. Sed non eſt ulterius procedendum, nam idea ſimplex objectum ſimplex repræſentat; non docet ubi ſit, nec an ſit ea aliis conjuncta Facultas. Itaque non errabit quicunque ex ſenſatione aliqua colliget, aliquid eſſe extra Mentem ſuam, quod eam excitare aptum natum eſt.

3. Adæquatæ ſunt etiam ideæ modorum, quicunque tandem ſint, exceptis iis qui ſimul ſubſtantiæ ſunt, de quibus ſupra Cap. III. §. 11. Cum enim modi nulli ſeorſim exiſtere à nobis intelligantur, à nobis ſeorſim à ſubſtantiis, non niſi ope abſtractionis, conſiderantur. Omnes autem ideæ abſtractæ ſunt adæquatæ, repræſentant enim totam eam partem ſubjecti quam conſiderare tum volumus. Ita *rotunditatis* idea eſt adæquata, quia quicquid eſt in rotunditate in genere animo meo offert. *Trianguli* in genere idea eſt adæquata, quia cum Menti meæ adeſt, tum quicquid eſt commune omnibus triangulis video.

4. Ejuſdem generis ſunt omnes ideæ, quarum nulla Archetypa extra ipſas exiſtere intelligimus. Archetypa vocamus objecta externa realiter exiſtentia, quorum occaſione excitantur in nobis ideæ, quas credimus eorum eſſe imagines. Ita cum canis ante oculos eſt poſitus, dicitur Archetypus ideæ quæ tum Menti ſe ſiſtit. Sed idea *Animalis* in genere nullum habet Archetypum. Ejus faber eſt, ut ita dicam, animus noſter, qui ei addit aut detrahit quicquid vult; unde eam ſemper eſſe adæquatam conſequens eſt.

5. Sed

5. Sed cavendum, quod jam monuimus, ne ſcilicet poſtquam ejuſcemodi ideas Mens ſibi obverſari voluit, ideo talia quædam extra nos exiſtere objecta exiſtimemus. Idem enim peccatum admitteremus, in quod incideret Pictor, qui pictum à ſe Centaurum, aut centimanum Enceladum exiſtere contenderet.

6. Ne videatur hæc noſtra admonitio inutilis, quaſi hoc peccatum nunquam committeretur, exemplum afferemus illuſtre admiſſi, in re haud exigui momenti, ejuſmodi erroris. In unaquaque cogitatione poſſumus, per abſtractionem, quod iſta cogitatio commune habet cum omnibus aliis, ab eo quod ei eſt peculiare, diſtinguere. Ita ſi quis malum cuipiam animo voveat, in iſto voto, præciſione mentis, diſtinguimus votum in genere, ſeu deſiderium, & deſiderium mali in aliquem effundendi. Scholaſtici vocarunt iſtud deſiderium in genere, partem *phyſicam* actionis Mentis; partem vero *moralem*, quod malum in ea dicitur. Deſiderium per ſe nec bonum eſſe, nec malum; ſed *malitiam* deſiderii inde oriri, quod in objectum illicitum, ſeu cui malum vovere non licet, feratur, dixerunt. Neque hoc, de ideis abſtractis *deſiderii* & *malitiæ in genere*, negari poteſt.

7. Verum hoc poſito, exiſtimarunt Scholaſtici omnia mala deſideria, non jam abſtracte conſiderata, & quatenus idealiter Menti obverſantur, ſed realiter in hominum animis exiſtentia conſtare parte *phyſica* & *morali*; prioriſque auctorem eſſe Deum, poſterioris Hominem. Idem de omnibus cogitationibus dictitant, & hominem machinam à Deo ad omnia ineluctabiliter motam, unde ſequitur Deum mali, non minus ac boni, eſſe auctorem, faciunt.

8. Igitur probe recordandum eſt ideas abſtractas ipſas eſſe Archetypas, quæ nulla extra ſe habent objecta, à quibus ſint excitatæ; & licet ſint in ſe adæquatæ, quia nihil præter ſe repræſentant; attamen non poſſe adæquatas dici, ubi objecti exiſtentis imagines dicuntur, niſi poſtquam conſtat objecti iſtius omnes partes in iis contineri.

9. In

9. Inadæquatæ porro ſunt ideæ omnium *ſubſtantiarum*, quæ ab animo pro arbitrio non finguntur, ſed colliguntur ex proprietatibus, quas in iis experientia animadvertimus. Hoc ſatis liquet ex iis, quæ Capite III. de ſubſtantiis diximus. Etenim aliquot earum proprietates nobis eſſe notas, non omnes; adeoque earum ideas imperfectas eſſe, ſeu inadæquatas oſtendimus. Ita novimus *argentum* coloris eſſe albi, liquefieri poſſe, & igne minui dum liquefit, in bracteas duci, aqua forti diſſolvi, contrahere ſqualorem ſitu, &c. Sed quænam ſit intima particularum, quibus argentum conſtat, diſpoſitio, ſeu conſtitutio, unde iſtæ profluunt proprietates, prorſus ignoramus. Igitur idea argenti, quæ animo noſtro adeſt, quoniam quicquid eſt in argento Menti noſtræ non oſtendit, inadæquata eſt.

10. Hic maximum eſt periculum, ne inadæquatas ideas cum adæquatis confundamus; quia ubi plures alicujus rei proprietates novimus, nec ulla alia induſtria noſtra retegi poſſunt; facile nobis perſuademus exhauſtum eſſe à nobis ſubjectum, quod conſideramus. Ita viri, alioqui perſpicaciſſimi, hoc noſtro ſæculo exiſtimarunt ſe exhauſiſſe proprietates Mentis, quod nihil in ea præter cogitationes viderent, Mentemque eſſe *ſubſtantiam cogitantem* duntaxat dixerunt. Cum in corpore nihil animadverterent præter extenſionem, impenetrabilitatem, & diviſibilitatem, nihil aliud in corpore eſſe quærendum contenderunt. Sed nunquam quænam ſint eæ ſubſtantiæ, quarum proprietates ſunt cogitare, habere partes, &c. oſtendere potuerunt; nam *ſubſtantiæ* in genere nullæ exiſtunt, & licet hanc vocem in genere intelligamus, non ideo ſequitur eam à nobis intelligi, ubi de ſubjecto quopiam ſingulari prædicatur, quod eſt probe obſervandum.

11. Idem etiam ſe ideam claram divinæ naturæ habere, adeoque adæquatam, nam ex definitione vocis * *Clarus*, apparet claras ideas eſſe adæquatas, ubi ſermo eſt de ideis, quæ extra nos Archetypa habent, dicere auſi ſunt. Imago alicujus rei clara eſt, cum omnes ejus

* *Vid. Cap.* ix.

ejus rei partes diſtinctæ animo offert; obſcura, ubi non omnia complectitur. Nemo autem, qui ſapiat, ſibi diſtincte obverſari omnes proprietates Dei dixerit; cum ne una quidem forte, præter admodum generales, clara ſit. Itaque hic ſummi viri valde inadæquatam ideam cum adæquata temere confuderunt; exemploque eſſe poſſunt erroris admodum lubrici, qui videtur cum ex inſita humano ingenio ſuperbia, tum ex inveſtigandi & judicium interea cohibendi impatientia naſci. Glorioſum enim eſt aliquid penitus intelligere, diu indagare ejus naturam moleſtum.

CAPUT XI.

De aliquot Vocabulis, quibus Scholaſtici deſignant varias ideas, deque Sermone.

1. POſtquam ideas, juxta varias earum ſpecies, ac relationes contemplati ſumus, nihil ſupereſſet hac in parte Logices agendum; niſi quaſdam voces Peripateticæ Logicæ exponendas eſſe, propter conſuetudinem, duceremus. Præcipuas tamen ſeligemus, ne Dictionarium ſcribere nimium operoſe videamur.

2. Hinc apparebit Dialecticen Ariſtotelis potius eſſe artem diſputandi; quam veritatis apud animum ſuum quærendæ, dein proferendæ. *Termini* omnes diſtinguuntur in *ſimplices* & *complexos*. Simplices ſunt omnes ſingulæ voces, quando nihil ſubintelligitur: termini complexi pluribus conſtant vocibus, aut expreſſis, aut ſubintellectis. Ita vox *Alexander* eſt terminus ſimplex: *Alexander filius Philippi*, eſt terminus complexus, ſeu, ideæ, cujus aliqua notatur proprietas, aut relatio, nomen.

3. Exprimitur συμπλοκὴ vel *complexio* idearum ſine pronomine Relativo, ut apparet exemplo allato, vel addito pronomine, ut *Alexander qui fuit filius Philippi*. Obſervant

ſervant autem Dialectici pronomen relativum eſſe interdum ſimpliciter ἐξηγητικὸν, ſeu eo explicari diſtinctius priorem terminum, ut ſi quis dicat, *Homo, qui ratione utitur: Julius Cæſar, qui ſummus Imperator fuit*; neque enim ullus eſt homo, qui ratione non utatur; neque ullus fuit *Julius Cæſar*, qui ſummus Imp. non fuerit. Interdum etiam pronomen eſt ὁριστικὸν, ſeu determinat vocem generalem ad peculiarem ſenſum, ut cum dicimus, *corpora quæ pellucida ſunt*; tum enim vox *corpora*, quæ generalis eſt, ſequentibus ad ea tantum, quæ pellucida ſunt, ſignificanda determinatur.

4. Aliquando termini, qui ſimplices videntur, complexi ſunt, ut in libris *de Bello Gallico*, *Imperator* ſignificat *C. Julium Cæſarem, qui Imp. ab exercitu ſalutatus erat*. Aliquando complexi in Phraſi deſignant individuum, ut *Princeps Poëtarum* deſignat *Homerum* apud Græcos, *Virgilium* apud Latinos. Quæ obſervationes potius ad Grammaticam, aut Criticam, quam ad Artem ratiocinandi, quæ ſupponit uſum Linguæ jam eſſe notum, pertinent.

5. Idem etiam dixeris de eo quod docent de *Homonymis, Synonymis & Paronymis*. Homonyma ſunt, quæ nomen habent commune, licet natura differant, ut *Homo*, quando dicitur de homine vivente, & picto. *Ambigua* & *æquivoca* à Latinis dicuntur. *Synonyma* ſunt, quæ *Univoca* à Scholaſticis vocantur, & quæ habent nomen commune, & eſſentiam aliqua in re ſimilem, ut *Homo* & *Bos animalia* univoce dicuntur. *Paronyma*, à Scholaſticis *agnominata* appellantur, quæ ſunt inter ſe etymologia connexa, ut *Grammaticus* & *Grammatica*.

6. De hiſce & quibuſdam aliis *Ariſtoteles* egit initio libelli *de Categoriis*, eaq; propterea τὰ πρὸ τῶν κατηγοριῶν vocavit, & Scholaſtici ejus ſequaces *Antepræ dicamenta*. Similiter quia μετὰ τὰς κατηγορίας agit de *Contrariis*, de *Modis* quibus aliquid *prius*, aut *ſimul* eſſe dicitur, de generibus κινήσεως *mutationis*, ſeu *motus*, deque variis ſenſibus, quibus vox ἔχειν uſurpatur; propterea hæc vocata ſunt *Poſt prædicamenta*. Circa hæc, quæ *Modalia* ab iis dicuntur, plurima obſervant, etiam vera, ſed quæ ad ſermonis

monis, potius quam ad rerum cognitionem pertinent. Tradunt etiam plurimas tum de Anteprædicamentis, tum de Poſtprædicamentis Regulas, parum utiles, quia fere nunquam in iſtis peccatur. Ideoque nos ab iis expendendis abſtinuimus.

7. Iidem hoc in loco multa quærunt de Sermone, quæ potius Criticam aut Grammaticum quam Logicam ſpectant, quorum hoc præcipuum eſt; cum verba ſigna ſint cogitationum, ſeu idearum, an ſint ejuſmodi ſigna natura ſua, an vero inſtitutione hominum? Plato olim prius affirmavit, ſed plerique alii Philoſophi poſterius; ac ſane manifeſtum eſt rem ex humano arbitrio pendere, quoniam Gentes variæ varia iiſdem ideis, unde orta eſt tanta Linguarum varietas, impoſuerunt nomina.

8. Hoc itaque miſſo, obſervandum potius eſt ex ſermone ideas ſæpe obſcuratas fuiſſe. Nempe ita aſſuefacti ſumus ideis quaſdam voces adjungere, ut etiam, cum apud nos taciti cogitamus, vix temperare poſſimus quin tacito quodam ſermone ſenſa animi exprimamus. Adjuvamur etiam multum aliorum monitis aut inventis, in inveſtigatione veri; nec ea aliter cognoſcere poſſumus, niſi per ſermonem, aut ſcripta. Igitur ſi ſermo noſter, aut aliorum, non ſit ſatis perſpicuus, ne ideæ noſtræ obſcurentur, & in indaganda veritate præpediamur, periculum eſt.

9. Oſtendimus autem, in Arte Critica, cum innumera eſſe obſcura in ſermone hominum, tum etiam plurima omni ſenſu carere. Idem ſæpe factitant homines, ubi de rebus ignotis verba faciunt, quod fieret à cæcis natis, qui inter ſe de coloribus diſputarent, quod ex aliorum ſermone didiciſſent nomina colorum, variaſque de iis obſervationes, quæ poſtea memoriter recitarent. Ut ejuſmodi ſermo nihil aliud eſſet, quam certa inanium collectio ſonorum: ita non raro homines, inſtar campanarum, ſonitum ſine ſenſu diſputantes edunt. Atque hoc evenit cum ſæpe alias, tum potiſſimum ubi de rebus, quas ἀκαταλήπτους fatentur, ſermones habent.

10. Hæc cum ad aliam Artem pertineant, hic non excu-

tiemus,

tiemus, monebimus tantum paucula quæ Artem ratiocinandi ſpectant. Primum eſt ubi veritatem alicujus rei, quæ non pendet ab aliorum relatione, inveſtigamus, eſſe, quantum fieri poteſt, tacitum etiam ſermonem vitandum, ne nos verba obſcura, quibus fortè aſſuevimus, fallant.

11. Secundum eſt, ſi abſtinere ab ea re non poſſumus, inter meditandum; aut ſi efferendum ſit quod cogitamus, vitandas eſſe omnes obſcuritates, ex quibuſcunque tandem naſcantur cauſis, quarum præcipuas in *Arte Critica* enumeravimus. Nunquam condonanda eſt obſcuritas, niſi iis qui clarius loqui neſciunt; quos tamen potius tacere, quam alios aut fallere, aut cruciare ambiguo ſermone, deceret.

12. Si vero alios loquentes audiamus, aut eorum ſcripta legamus, utendum eſſet iis cautionibus quas recenſuimus, in eodem opere Critico; ſi non liceat interrogare eos qui loquuntur, aut ſcribunt. Alioqui ſi ſciſcitantibus nobis reſpondere parati ſint, ubicunque occurrit terminus obſcurus, rogandi ſunt eum definiant. Si bona fide agunt, nec volunt nobis fucum facere, nunquam ejuſmodi definitiones negabunt; ſi negent, non ſunt amplius audiendi; qui enim non vult intelligi, dignus non eſt cui aures præbeantur. Cæterum de Definitione Vocum in Parte ſequente, ubi ad *Definitionem* ventum fuerit, agemus.

Primæ Partis Logicæ Finis.

LO-

LOGICÆ
PARS SECUNDA.
De JUDICIIS.

CAPUT I.

De Judicio in Mente, & Verbis expreſſo.

1. IDeis & proprietatibus idearum ſigillatim conſideratis, ad Judicia, in quibus variæ comparantur invicem ideæ, deveniendum eſt. Et ante omnia quidem, judicium, quatenus in Mente eſt, à verbis quibus exprimitur, ſi velimus ſcire quid ſit, probe diſtinguendum eſt.

2. Judicium, quatenus Mente continetur, eſt relationis, quæ inter duas aut plures ideas intercedit, perceptio. Ita quando judico Solem eſſe majorem Luna, comparata utriuſque idea, ideam Solis majorem eſſe idea Lunæ animadverto, atque in hac perceptione acquieſcit Mens mea, nec quidquam ea de re amplius quærit. Cum duos numeros eſſe inæquales judico, animadverſa eorum inæqualitate, Mens mea eos amplius eo reſpectu non expendit, ſed tantum duos iſtos numeros, poſt examen, inæquales compertos eſſe, memoriæ mandat.

3. Obſervandum eſt poſſe Mentem noſtram obſcuris ideis, non minus ac claris aſſentiri; ſeu quaſi aliquid comperiſſet, quod tamen non comperit, acquieſcere, & quod

quod viſa eſt ſibi comperiſſe memoriæ mandare. Ita poſſumus exiſtimare ſtellas fixas minores eſſe Luna, comparatis ſtellarum fixarum, & Lunæ obſcuris ideis; & poſtmodum hoc quaſi indubitatum ſupponere. Sed etiam aſſenſum noſtrum, donec accurate conſideratis ideis res clara evaſerit, cohibere; ſin ad perſpicuam perceptionem pervenire nequeamus, in dubitatione noſtra hærere, remque quaſi dubiam memoriæ mandare poſſumus. Atque illa Facultas, quam in nobis eſſe ſentimus, aſſenſus obſcuris præbendi, vel negandi, vocatur *Libertas*.

4. Verum ubi res ad ſummam perſpicuitatem devenit, ea facultate amplius uti non licet. Neque enim, exempli cauſa, à nobis impetrare poſſemus ut crederemus bis 2 non eſſe quatuor, partem non eſſe minorem toto, aliaque ſimilia evidentiſſimæ veritatis Axiomata. Statim ac ea intelligimus, Mens neceſſario acquieſcit, nec inquirendi amplius vel minimam cupiditatem in ſe animadvertit.

5. Hujuſmodi eſt judicium, quatenus in Mente hæret; ubi autem verbis exprimitur, vocatur *Propoſitio* vel *Enunciatio*, in qua ſemper aliquid negatur vel affirmatur. Ea pars propoſitionis, de qua affirmatur aut negatur aliquid, *ſubjectum*; altera vero quæ de illa prædicatur, negando aut affirmando, *prædicatum* vocatur. Ita quando dicimus: *paupertas eſt ſublevanda*, aut *paupertas non eſt vitium*, vox paupertas eſt *ſubjectum*, *ſublevanda* & *vitium* ſunt *attributa*, aut *prædicata*. Præter haſce duas partes conſideranda eſt *copula*, qua, cum eſt ſola, affirmatur relatio quædam inter ſubjectum & prædicatum eſſe; addita vero particula negativa, eadem negatur relatio. In priore propoſitionum allatarum, inter ideam paupertatis & ideam ſubſidii relationem eſſe, adeo ut paupertas includat in animo meo ideam ſubſidii, affirmo. In poſteriore, idea paupertatis excitari in me conſiderationem rei vituperandæ, nego.

6. Propoſitiones interdum pluribus, interdum paucioribus vocibus exprimuntur. *Achilles inſanit* eſt integra propoſitio, idem eſt enim ac ſi dicerem *Achilles eſt inſaniens*. Vox *perii* continet integram propoſitionem, idem enim

enim exprimit ac ſi dicerem: *Ego ſui periens.* Hæc cogitanti nullam difficultatem pariunt, neque quicquam conferunt ad cognitionem veritatis, niſi quatenus noſtris aut alienis verbis expreſſa eſt. Verum, ut ſæpe monuimus, Logica Veterum ars fuit loquendi, non minus ac cogitandi.

7. Obſervandum porrò voces, ſeu terminos, quibus Propoſitiones conſtant, vocari *ſimplices*, quando ſunt unica voce expreſſi; ut, *Deus eſt bonus: complexos* vero quando pluribus; ut, *Deus, qui eſt bonus, non poteſt miſeria hominum gaudere.* Quod jam ſupra P. I. Cap. xi. §. 2. pluribus oſtenſum.

Caput II.

De Propoſitionibus Univerſalibus & Particularibus.

1. IDeas ſupra diviſimus in Univerſales, Particulares & Singulares, eodemque modo poſſe diſtribui voces, quibus exprimuntur, innuimus. Hinc quoque tripliciter dividuntur Enunciationes.

2. Ubi ſubjectum univerſale eſt, ſeu in tota extenſione ſua ſumitur, nulla excepta ſpecie, neque ullo individuo, quæ ſub eo continentur, tum propoſitio eſt univerſalis. Univerſalitas exprimitur voce *Omnis* ubi affirmativa eſt Propoſitio: voce *nullus*, ubi negativa. *Omnis homo eſt liber*, eſt propoſitio univerſalis affirmativa. *Nullus homo eſt liber*, eſt univerſalis negativa.

3. Cùm vero afficitur ſubjectum aliqua nota, qua oſtendimus non omnes ſpecies, omniave individua quæ continentur ſub ea voce, comprehendi, tum Propoſitio particularis dicitur; ut, *Aliquis homo eſt liber.* Voce *aliquis* ſignificamus quicquid comprehenditur vocabulo generali homo, hîc à nobis non intelligi; ſed tantùm partem aliquam, quam voce *aliquis* deſignamus.

4. *Singulares* vel *individuales* ſunt, quibus aliquid de individuo affirmatur; ut *Alexander fuit iracundus.* Hujuſmodi propoſitiones magnam habent cum univerſalibus affinitatem, in eo ſitam, quòd utrarumque ſubjectum, ſecundum totam ſuam extenſionem, ſumatur; unde fit ut in Argumentationis Regulis Individuales Propoſitiones pro Univerſalibus, ut ex quarta Parte liquebit, habeantur.

5. Univerſalitas, & particularitas Propoſitionum earum *quantitas* dicitur à Scholaſticis: quemadmodum affirmatio, aut negatio *qualitas.*

6. Hiſce poſitis, Propoſitiones cum ſecundum quantitatem, tum ſecundum qualitatem, diviſæ, referuntur ad quatuor genera, quæ deſignantur literis A, E, I, O, ad memoriam adjuvandam, & ad faciliùs tradendas Regulas de Syllogiſmis, ut ex quarta Parte apparebit.

A deſignat Univerſalem affirmativam; ut, *Omnis homo eſt liber.*
E Univerſalem negativam; ut, *nullus homo eſt liber.*
I Particularem affirmativam; ut, *aliquis homo eſt liber.*
O Particularem negativam; ut, *aliquis homo non eſt liber.*

Verſiculis duobus hoc comprehenſum eſt.

Aſſerit A, *negat* E; *verum generaliter ambæ.*
Aſſerit I, *negat* O; *ſed particulariter ambo.*

7. Cæterum licèt, accuratè loquendo, omnis Propoſitio, ubi occurrunt notæ univerſalitatis, ejuſmodi eſſe deberet; attamen ſermonis uſus, qui nunquam à Philoſophis pependit, multas Propoſitiones quæ terminis univerſalibus conceptæ, non debent univerſaliter intelligi, probat. Licèt Dialectici pluribus hac de re agant, nos eam non attingemus hîc, quia quæſtio eſt ad Criticam pertinens, quæ docet quemadmodum Linguæ ſint intelligendæ; non Logicam, quæ intelligi quod dicitur ſupponit. Ideoque de ejuſmodi Propoſitionibus egimus P. 2. Cap. xvii. §. 1. noſtræ *Critices.* Hac de re etiam multis egit ſcriptor Gallicus *Logices*, quæ *Portus-regii* dici ſolet. P. II. C. x. Verum quicquid habet huc redit; nempe,

pe,ut judicium feratur de ſenſu ejuſmodi Enunciationum, oportere loquentis animum aliunde eſſe notum, ejuſque cognitionem nobis perſpectam; quandoquidem ſenſus ex ipſis verbis, notione recepta expoſitis, non ſatis liquet.

8. Ad inveſtigationem veri magis pertinet obſervatio ex iis quæ de ſubſtantiis antea diximus profluens. Nimirum, univerſales Propoſitiones, ubi de generibus & ſpeciebus ſubſtantiarum, non poſſe certo ſtatui rebus ipſis conſentaneas; quia cùm earum eſſentias non norimus, omnes ſubſtantias, in quibus quædam attributa coëxiſtere ex æquo videmus, eſſe etiam, in iis quæ non novimus, ſimiles pronunciare non poſſumus. Exempli cauſa, in omnibus hominibus quædam attributa ſimilia, conſtanter coëxiſtentia, videmus. Sed quis nos docebit utrùm eorum Mentes omnes ſimiles ſint, adeo ut quicquid diſcriminis eſt inter eas, oriatur ab externis cauſis reſpectu Mentis, ut à corpore, ab educatione, & ſimilibus; an vero ſit inter eas, in ipſa Mentium ſubſtantia, diſcrimen aliquod? Poſterius videtur perſuadere diſcrimen ingeniorum, quod obſervatur in fratribus eodem modo educatis; ſed quoniam nobis non conſtat cerebrum in iis eadem ratione eſſe diſpoſitum, poſſet & ingenii diſcrimen ab ea varietate provenire.

9. Ita quoque qui audacter omnium corporum intimam eſſentiam eſſe ſtatuunt eandem, ſi verè ſentiunt, id caſui potius quam perſpicuæ cognitioni debent. Poſſet enim intima variorum corporum eſſentia plane differre, licèt quibuſdam attributis, quæ nobis nota ſunt, conveniant. Igitur circa hæc de ſubſtantiis effata generalia, cavendum ne aſſentiamur iis qui intimas earum eſſentias perſpectas eſſe ſupponunt.

10. Alia Modorum, quorum totam eſſentiam novimus, ratio eſt. De iis effata quævis generalia, indubitatæ veritatis, efformare poſſumus. Atque hinc fit ut Geometria, quæ circa modos verſatur tota, fundamentis nitatur certiſſimis, & univerſales regulas de omnibus figuris, & magnitudinibus inconcuſſas tradat.

CAPUT III.

De Propoſitionum Oppoſitione.

1. PRopoſitiones *oppoſitæ* dicuntur, quarum in altera negatur, quod in altera affirmatur, vel totum, vel partim. *Contradictoriæ* dicuntur, ubi quantitate & qualitate opponuntur, ut: *Omnis homo eſt liber: Aliquis homo non eſt liber:* prior enim eſt univerſalis affirmans, poſterior particularis negans.

2. Si qualitate differant, ſed conveniant quantitate, *contrariæ*, vel *ſubcontrariæ* dicuntur; & *contrariæ* quidem, quando ambæ ſunt univerſales, ut, *nullus homo eſt liber*, *omnis homo eſt liber.* Subcontrariæ verò, quando particulares; ut, *aliquis homo eſt liber*, *aliquis homo non eſt liber.*

3. Regulas haſce de ejuſmodi Propoſitionibus veras ſanè, ſed contra quas nemo, exceptis Theologis, peccat ſani cerebri, afferunt Philoſophi. Prima eſt *Contradictorias nunquam ſimul eſſe veras, vel falſas.* Si omnes homines ſunt liberi, non poteſt fieri ut aliquis eorum non ſit liber, & vice verſâ.

4. Secunda eſt: *Contrarias nunquam eſſe ſimul veras, ſed poſſe quidem utraſque falſas eſſe.* Fieri nequit ut omnes homines liberi ſint, ſi nullus libertate fruatur; nec poſterius verum eſſe poteſt, quin prius ſit falſum. Sed ſi quis diceret *omnes homines eſſe bonos*, poſſet hoc æque falſum eſſe ac contraria *nullum hominem eſſe bonum*; quia poſſunt aliquot homines eſſe boni.

5. Tertia eſt: *Subcontrarias poſſe ſimul eſſe veras*; ut *aliquis homo eſt bonus*, &, *aliquis homo non eſt bonus.* Sed *non poſſunt eſſe ſimul falſæ*, ut apparet ex duabus Propoſitionibus allatis. Nam ſi falſum eſt aliquem hominem eſſe bonum, verum eſt aliquem hominem non eſſe bonum.

6. Oppoſitis Propoſitionibus annumerantur à quibusdam

dam *ſubalternæ*, hoc eſt, quarum una parrticularis ſub altera univerſali continetur. Sed, propriè loquendo, non ſunt oppoſitæ, quoniam nulla in iis eſt negatio affirmationi contraria, qua in re ſita eſt oppoſitio. Propoſitiones ſubalternæ ſunt: *Omnis homo eſt liber*, &, *Aliquis homo eſt liber*, quarum poſterior priore continetur.

7. De hiſce obſervandum primò, *ex veritate Univerſalis propoſitionis, ſequi veritatem particularis, ſed non vice verſa:* Secundo, *ſi particularis ſit falſa, falſam etiam eſſe univerſalem, ſed non vice verſa:* Tertio, *univerſalem & particularem ſubalternam poſſe eſſe nonnunquam utramque falſam, interdum utramque veram.* Omnes homines eſſe mortales, aliquemve eorum eſſe morti obnoxium æque verum eſt; at æque falſum omnes homines initio carere, & aliquem hominem ab æterno exiſtere.

8. Multa hîc Philoſophi tradunt de reductione Propoſitionum oppoſitarum ad eundem ſenſum, mutatis pauculis verbis; ſed cùm potius pertineant ad ſermonem, quam ad rectè cogitandi Artem, ea omittemus. Eadem de cauſa quæ ſpectant ad converſionem Propoſitionum, de quibus conſuli poſſunt Logici, ab iis quorum hæc accuratiùs noſſe intererit, non attingemus.

9. Licèt quæ de Propoſitionibus contradictoriis & contrariis dicta ſunt extra omnem dubitationis aleam apud Philoſophos poſita ſint; non eadem eſt Theologorum ſententia, quorum multi duas contradictorias Propoſitiones ſimul eſſe veras, per divinam potentiam, poſſe contendunt. Aiunt enim corpus unum poſſe eſſe ſimul aliquot pedes longum, & latum, & omni extenſione carere. Exiſtimant de corpore uno Chriſti poſſe dici: *Hoc corpus eſt extenſum*, &, *Hoc corpus non eſt extenſum*, atque utrumque æque verè.

10. Verùm ad hanc portentoſam ſententiam ſponte & nexu perſpicuorum ratiociniorum adducti non devenerunt. Defendendum iis fuit dogma *Tranſubſtantiationis*, quod paulatim & involucro vocum obſcurarum tectum, priuſquam Philoſophicè expenderetur, ſubiit. Hinc factum ut Philoſophia Ariſtotelica, quæ poſtea in Eccleſiam La-

tinam ingreſſa eſt, primùm ſit damnata; deinde ea lege, ut quædam quæ vera Philoſophicè eſſent, haberentur Theologicè falſa, admiſſa.

11. Hìc quidem divinam potentiam, cui ab hominibus limites poni nefas eſt, prætendunt. At dubium eſt nemini, quin plurima quæ ab hominibus non capiuntur, facere poſſit Deus; verùm cùm aliquid affirmamus tam de Deo, quam de aliis rebus, oportet nos intelligere quid dicamus; etenim ſi verba ſine ſenſu effundamus, ut nulla iis adnexa eſt idea: ita nec ullius opinionis ſunt ſigna. Igitur qui affirmant duas contradictorias ſimul eſſe veras, per potentiam divinam, an intelligant quod dicunt, & verbis exprimant quod intelligunt, rogandi ſunt.

12. Sane ex eorum reſponſionibus apparebit eos non magis quod dicunt, quam nos qui negamus, intelligere. Itaque quando diximus eos *exiſtimare, ſententiamve* fovere de hac re aliquam, loquuti ſumus ex uſu vulgi, juxta quem uſum aliquem contradictoria credere dicimus. Alioquin, accurate loquendo, Theologos Pontificios habere quædam verba, quæ veritati allatæ contraria ſono videntur, ſed ſub quibus nulla latet opinio; ideoque quantumvis pertinaciter iis verbis utantur, nihil ab iis hac de re credi, niſi quod cæteri homines ſentiunt, dicendum fuiſſet. Opinio enim judicio nititur, quod de ideis inter quas relationem nullam, neque clare, neque obſcure videmus, ferri nequit.

CAPUT IV.

De Propoſitionibus Simplicibus & Compoſitis.

1. *Simplices* dicuntur à Logicis Propoſitiones, *quæ unico tantùm ſubjecto & prædicato conſtant*, ut *Deus eſt miſericors*. Compoſitæ vero, *quæ habent plura ſubjecta, aut prædicata; ut, Odium & Amor ſunt affectus oppoſiti; Odium proximi eſt vitium & furor; Odium & amor ſunt utilia & noxia.*

2. Com-

2. Compoſitæ Propoſitiones in varias ſpecies dividuntur, quarum hæ duæ ſunt maximè univerſales: nempe vel earum compoſitio verbis diſertis expreſſa eſt, vel latet. Poſteriores vocant Dialectici *exponibiles*, deque his Capite ſequente agemus; de prioribus in hoc.

3. Propoſitiones diſertè compoſitæ, ad ſex ſpecies rurſus referuntur. Sunt nempe, vel *Copulativæ*, aut *Disjunctivæ*; vel *Conditionales*; vel *Cauſales*; vel *Relativæ*; vel *Diſcretæ*.

4. *Copulativæ* dicuntur eæ *in quibus plura ſubjecta vel prædicata, per conjunctionem affirmantem aut negantem, copulata ſunt*; ut *Divitiæ & nobilitas ſunt ſuperbiæ cauſa*: vel, *Nec divitiæ nec nobilitas ſunt ſapientiæ cauſa*. Iterum ſubdividuntur in tres ſpecies; ſunt enim vel plura ſubjecta, vel plura prædicata, vel plura ſubjecta & prædicata ſimul.

5. Ut hæ propoſitiones ſint veræ, oportet utraq; pars, quibus conſtant, verè affirmari aut negari ex æquo poſſit. Ita verè dicere poſſum, *Divitias & nobilitatem eſſe ſuperbiæ cauſas*, quia affirmatio de utroque ſubjecto vera eſt. At falſa eſſet Propoſitio hæc: *Divitiæ & pietas ſunt ſuperbiæ cauſa*, nam verè quidem hoc affirmatur de divitiis, falsò verò de pietate.

6. Contrariæ, & contradictoriæ harum propoſitionum, quà nempe ſunt copulativæ, non ſunt ſimpliciter negativæ, aut quibus oppoſitum aliquid affirmatur; ſed eæ demum, in quibus copula affirmatione aut negatione afficitur. Ita Propoſitionis allatæ, *Divitiæ & nobilitas ſunt ſuperbiæ cauſa*, contradictoria hæc eſt: *Divitiæ nobilitati conjunctæ ſunt humilitatis cauſa*; contraria: *Divitiæ nobilitati conjunctæ non ſunt ſuperbiæ cauſa*. Nam quod hîc affirmatur aut negatur afficit conjunctionem ET; conſiderantur enim divitiæ & nobilitas, ut copulatæ.

7. *Disjunctivæ* propoſitiones ſunt, in quibus eſt conjunctio disjunctiva; ut, *Amicitia pares aut accipit, aut facit*. Ut hujuſmodi Propoſitiones ſint veræ, nullum debet dari medium, aut tertium. Si quis dicat: *Homines ſunt neceſſariò aut rubri, aut cærulei*, fallitur, quia dantur alii colores,

præter cæruleum & rubrum. Harum contrariæ ſunt, in quibus negatur disjunctionis veritas; ut, *Amicitia pares nec accipit, nec facit.*

8. *Conditionales* ſunt, quarum partes per conditionalem particulam *ſi* copulantur; ut, *Si ſol ſtat, terra movetur.* Prior pars vocatur *antecedens*, poſterior *conſequens.* Conſequentiæ veritas hîc ſola ſpectatur, quæ poteſt eſſe recta, licèt utraque pars falſa ſit, ea enim ratione ad abſurdum reducitur principium falſum; ut, *ſi Deus plectit innocentes, eſt injuſtus.*

9. Conſequentia autem eſt *immediata*, vel *mediata. Immediata* eſt, ubi ex priore parte, nulla alia interpoſita idea, poſterior ſequitur. In propoſitione modò allata, non eſt conſequentia immediata, quia ut admittatur ejuſmodi Propoſitio, ſupponitur injuſtitiam eſſe punire innocentes; quo ignorato, obſcura eſt conſequentia. Hæc ergo conſequentia *mediata* vocatur. *Immediata* eſt in hac propoſitione, ubi nihil ſubintelligitur: *ſi numerus eſt ſeptenarius, eſt minor denario.* Ex ſola comparatione duarum harum idearum, conſequentiæ eluceſcit veritas.

10. Contrariæ propoſitiones, harum reſpectu, ſunt in quibus negatur veritas conſequentiæ; ut, *ſi Deus plectat innocentes, non propterea injuſtus eſt.*

11. *Cauſales* Enunciationes dicuntur, in quibus occurrunt cauſales particulæ *quia*, vel *ut.* Sic, *Homo creatus eſt, ut Deus ei benefaceret*; vel, *quia Deus ei benefacere voluit.* Ut ejuſmodi propoſitiones ſint veræ, oportet ut quod exprimitur ea parte, ante quam eſt *ut*, vel *quia*, ſeu ad quam cauſalis particula pertinet, ſit cauſa ejus quod exprimitur in parte altera. Ita niſi beneficentia Dei cauſa eſſet creationis hominis, falſa eſſet propoſitio allata. Ideoque contrariæ harum Enunciationes negant tantùm id eſſe cauſam, quod cauſa dicitur.

12. Ad haſce Propoſitiones referuntur quæ dicuntur *reduplicativæ*, in quibus adhiberi ſolent particulæ *quà*, aut *quatenus*, vel aliæ ſimiles; ut, *Homo quatenus homo rationalis*; *quà homo mortalis eſt.*

13. *Relativæ* Propoſitiones dici ſolent, quæ aliquam com-

comparationem, ſeu relationem continere cenſentur; ut, *tanti ſis quantum habeas.* Sed accurate loquendo, omnes Propoſitiones complectuntur relationem aliquam, ut *Cap.* iv. *P.* 1. & *Cap.* 1. hujus ſecundæ Partis oſtendimus. Omnium Propoſitionum veritas nititur veritate relationis, quæ eſt inter ideas, quæ in iis comparantur, non minus quam veritas harum Propoſitionum, quibus comparatio diſertè expreſſa *relativis* nomen fecit. Contrariæ omnium Propoſitionum, ut & harum, ſunt, in quibus relatio, quæ inter ideas eſſe ſtatuitur, negatur.

14. *Diſcretivæ* dicuntur, quæ varia judicia continent, ita ut varietas illa adverſativis particulis *ſed, tamen,* &c. notetur, niſi ſubintelligantur; ut *Romani victi ſunt ab Annibale præliis plurimis, ſed non bello: Romani exercitus diſciplina, non numero militum vincebant.* Debet eſſe inter membra harum Propoſitionum aliqua oppoſitio, ut ſint veræ, aut ſenſum aliquem fundant. Inepta eſſet hæc propoſitio: *Romani ſtrenui quidem erant, ſed loquebantur Latinè,* nam Latinus ſermo nihil huc facit.

15. Contradicitur hiſce Propoſitionibus, tribus modis; ut, *Romani exercitus vincebant non diſciplina, ſed numero*; & hæc eſt directa contradictio; obliquiores ſunt: *Romani exercitus vincebant neque diſciplina, neque numero: & vincebant cùm diſciplina, tum numero.*

Caput V.

De Propoſitionibus Exponibilibus, ſeu ſenſu Compoſitis.

1. SUnt, utì diximus Capite præcedente §. 2. aliæ Propoſitiones compoſitæ, quarum tamen compoſitio non diſerte expreſſa eſt. Ideo, ut appareat, expoſitione indigent, propterea*q*; *exponibiles* dicuntur. In quatuor ſpecies dividuntur; ſunt nimirum, *Excluſivæ, Exceptivæ, Comparativæ, Inceptivæ, & Deſitivæ.*

2. *Excluſivæ* dicuntur eæ, in quibus prædicatum ſoli ſubjecto convenire affirmatur; ut, *ſola felicitas æterna eſt propter ſe optanda.* Hæc propoſitio conſtat hiſce duabus: *optanda eſt felicitas, & ea quidem felicitas quæ æterna eſt.* Contradici poteſt tribus modis, 1. ſi negetur prædicatum ſubjecto convenire, ulla ratione: 2. ſi dicatur etiam aliis convenire: 3. ſi utrumque hoc conjunctim dicatur.

3. *Exceptivæ* ſunt in quibus aliquid de quapiam re affirmatur, excipiendo aliquam ejus proprietatem, aut partem, aut aliquod ex ſubjectis inferioribus quæ illi rei ſubſunt. Ita dicimus, *hominem in errorem non delapſurum, niſi abuteretur libertate ſua; hominem eſſe immortalem, ſi corpus excipias; homines eſſe alba aut fuſca facie omnes, exceptis Æthiopibus.* Cæterùm *Excluſivæ* ab *Exceptivis*, ſola phraſi differunt; ideoque iis eodem modo contradicitur.

4. *Comparativæ* ſunt, in quibus fit comparatio inter duas aut plures res, quarum una, aut plures majores aut minores aliquo ſenſu aliis dicuntur; ut, *Achilles Hectore fortior fuit; Patroclus Hectore inferior erat fortitudine.* Continentur in hiſce propoſitionibus duæ aliæ: *Achilles fortis fuit, imo ipſo Hectore fortior: Patroclus fortis quidem fuit, ſed non æquè ac Hector.*

5. Contradicitur hiſce Propoſitionibus, cùm Propoſitionem ſubintellectam & latentem negando, tum ipſam comparationem impugnando. Cæterùm cavendum ne putemus poſitivum gradum ejus comparativi, qui in Propoſitione adhibetur, utrique ideæ convenire. Ita interdum dicimus: *Melior eſt honeſta paupertas malè partis divitiis*; nec tamen volumus dicere bonam eſſe paupertatem, ſed tantùm minus malam. Igitur in hac propoſitione non ſunt quærendæ hæ duæ: *bona eſt paupertas honeſta, & melior etiam divitiis malè partis*, ſed hæ: *malæ ſunt divitiæ malè acquiſitæ*, & *paupertas etiam*; *minus tamen mala, ſi honeſta ſit.*

6. Cum aliquid dicimus incipi, aut deſinere, duo continentur in Enunciationibus, quibus utimur, judicia; quorum unum reſpicit ſtatum, in quo res ante id tempus quo incipit, aut deſiit, erat: alterum id in quo eſt, ab

eo

eo tempore. Propoſitio *inceptiva* dicitur, exempli cauſa, hæc: *Lingua Latina à Tiberii principatu corrumpi cœpit*; idem enim eſt ac ſi diceremus, *Linguam Latinam ante Tiberium puram fuiſſe, ſed corrumpi cœpiſſe ejus ævo. Deſitiva* verò hæc: *Romana lingua deſiit eſſe pura, ex eo tempore, quo innumeri peregrini Romana civitate donati ſunt.*

7. Mirum eſt à Philoſophis non eſſe additam hiſce Propoſitionem *continuativam*, qua tria continerentur judicia; ut ſi quis dicat: *ſub Auguſti principatu, pura remanſit Lingua Latina*; hac enim propoſitione tria ſignificantur: 1. ante Auguſtum puram fuiſſe Linguam Latinam: 2. ſub eo puram remanſiſſe: 3. ſequentibus ætatibus corruptam fuiſſe.

8. Inceptivis & deſitivis contradicitur, duabus Propoſitionibus, quas continent, contradicendo; continuativis vero contradiceretur tripliciter, negando tres Propoſitiones quæ in iis latent. Verùm iſta omnia, licèt vera, aliquem forte uſum habent in intelligendo ſermone alieno, & ſuis cogitationibus ad normam Artis exprimendis; at in inveſtigando vero exiguum, aut pœne nullum.

9. Eodem pertinet obſervatio, quæ omnes memoratas in hoc Capite propoſitiones ſpectat; nempe, licèt multifariam eis contradici queat, attamen cùm ſimpliciter negantur, excluſionem, exceptionem, comparationem, inceptionem, deſitionem, aut continuationem cenſeri negativa affectas, nulla latentium propoſitionum ratione habita. Ita ſi dicam *ſub Tiberii principatu Linguam Latinam corrumpi cœpiſſe*, idque ſimpliciter negetur, negationis hic ſenſus erit, *non cœpiſſe eam tum corrumpi.*

CAPUT VI.

De Propoſitionibus Complexis, & Incidentibus.

1. CUm definierimus Propoſitiones Compoſitas, eas quæ multiplex habent ſubjectum aut prædicatum; ſequitur eas ſimplices eſſe omnes, quæ unicum habent prædicatum ac ſubjectum, quantumvis hæc complexa ſint. Ita Propoſitio hæc ſimplex habetur: *quicunque virtuti conſtanter adhæret, neque hominum ſermones curat, eſt beatus*, quia quæcunque præcedunt copulam EST, unum prædicatum conſtituunt, non minus ac ſi eſſet loco tot vocum vocabulum *Pius*. Nempe, hîc ſpectatur animus loquentis, qui non eſt affirmare aliquem conſtanter virtuti adhærere, aut ab aliquo contemni ſermones Vulgi: hæc non ſpectat hîc, ſed ſupponit. Vult tantùm affirmare eos, qui ita ſe gerunt, eſſe beatos.

2. Atque hæc obſervatio locum habet, in omnibus ejuſcemodi Propoſitionibus, quacunque tandem ratione ſint conceptæ, ſeu ſint nomina adjectiva quæ ſubſtantivo conjunguntur, ut, *Cæſar Impp. Romanorum maximus Pompeium vicit*; ſeu pronomen *qui* intercedat, ut, *is Cæſar, qui Pompeium acie fudit, fuit vir doctiſſimus*, ſeu alio quovis modo.

3. Propoſitiones porrò complexæ ſunt duûm generum; nam aut in *materia* Propoſitionis, hoc eſt, in prædicato, vel ſubjecto; aut in *forma*, hoc eſt, in copula, complexio eſt. Facile eſt fingere Propoſitiones in materia complexas; in forma vero complexæ, hoc eſt exemplum: *Ego affirmo terram eſſe mobilem*; huc enim redit hæc Enunciatio: *Ego* ſum affirmans *terram eſſe mobilem*. Voces autem *ſum affirmans*, quæ copula ſunt, complexum quid denotant, quod neque ad prædicatum, neque ad ſubjectum pertinet. Atque ejuſmodi ſunt ferè omnes Propoſitiones, in quibus copula exprimitur verbo activo, quem caſus aut infinitivus ſequitur. 4. Peri-

4. Peripatetici inter Propoſitiones complexas quoad formam, quatuor ſpecies potiſſimùm conſiderant, quas *modales* vocant, quia affirmatio certa ratione in iis modificatur. Nempe aliquid dicitur eſſe *poſſibile, contingens, impoſſibile*, aut *neceſſarium*. Sic poſſumus dicere: *Cæſarem erat poſſibile à Pompeio vinci*, vel *non erat poſſible. A Pompeio erat contingens Italiam deſeri*; hoc eſt, poterat hoc fieri, aut omitti. Multa ſubtiliter de hiſce modis obſervant Peripatetici, quæ ut ſupervacanea omittimus.

5. In complexis Propoſitionibus quoad materiam, occurrunt Propoſitiones quædam, quæ a nobis *incidentes* vocabuntur, quia inter loquendum earum *incidit* mentio, quaſi rerum cum ea, quam præcipuè dicere volumus, connexarum. Ita dicimus: *Cæſar, qui fuit ſummus Imp. Pompeium, qui & ipſe egregius Imp. erat, vicit.* Præcipuus hujus Propoſitionis finis eſt dicere à Cæſare victum fuiſſe Pompeium; & dum hoc dicitur, virtutis utriuſque bellicæ incidit mentio.

6. Hic porrò ad animum revocandum quod diximus ſupra P. I C. xi. §. 3. de ſignificatione pronominis QUI, QUÆ, QUOD, quod modò eſt *determinativum*, modò *explicativum*.

7. Quando pronomen hoc duntaxat explicativum eſt, tum ſubjectum poteſt ejus loco ſubſtitui: ut, *Alexander qui fuit filius Philippi bis Darium vicit.* Poſſumus enim dicere: *Alexander fuit filius Philippi.* Nempe τὸ *qui* explicativum ibi tantum occurrit, ubi prædicatùm Propoſitionis incidentis affirmatur de toto ſubjecto præcipuæ Propoſitionis.

8. Contra vero, ubi pronomen determinativum eſt, ſubjectum præcipuæ Propoſitionis non poteſt loco pronominis ſubſtitui, quia non de toto ſubjecto præcipuæ Propoſitionis affirmatur. Ita cum dicere queam: *Corpora, quæ pellucida ſunt, habent poros*, non poſſum tamen dicere de corporibus in genere: *Corpora ſunt pellucida*, neque enim omnia talia ſunt.

9. Si quis quærat, quî ſcire queamus pronomen relativum eſſe ὁριſτικὸν aut ἐξηγητικὸν, nihil eſt quod reponamus, niſi

niſi hoc pendere ex cognitione animi loquentis, quæ aliunde haurienda eſt quam ex ejuſmodi propoſitione, quæque ſola ambiguè dicta exponit; ut pluribus in locis *Critices* noſtræ P. II. S.I. obſervavimus.

10. Similiter agendum, in aliis Propoſitionibus complexis; in quibus incidentem diſtinguere ſæpe aliter à præcipua non poſſumus, quam ſciendo quis ſit ſcopus loquentis. Ita ſi animus mihi ſit dicere gravia ſponte deorſum, verſus terram, tendere, & ita mentem meam exprimam: *Omnes Philoſophi, docent res graves deorſum ſponte tendere*; prior pars erit incidens, (*omnes Philoſophi docent*) addita ad confirmandam affirmationem ſequentem. Verùm ſi mihi tantùm animus ſit referre ſententiam Philoſophorum, tunc priores tres voces ad præcipuam Propoſitionem pertinebunt, ſeu partem unius Propoſitionis complexæ, ſine *incidente*, conſtituent.

11. Propoſitionibus, quæ multipliciter complexæ, & in quibus plures occurrere poſſunt incidentes Propoſitiones, recenſendis non immorabimur. Etenim, ut probè intelligantur, ſunt dividendæ eæ Propoſitiones complexæ in ſimplices, & expendendæ ut aliæ, de quibus egimus.

12. Poſſent hîc quædam addi, *de veritate* ac *falſitate* incidentium Propoſitionum, non inutilia; verùm pertinent potius ad Criticen, & huc potiſſimùm, veritatem & falſitatem incidentis Propoſitionis non pendere à veritate & falſitate præcipuæ, redeunt. Poteſt eſſe præcipua vera, licèt ſit falſa incidens, & vice verſa. Itaque hæ propoſitiones Complexæ, non niſi cum diſtinctione, negari, aut admitti poſſunt.

CA-

Caput VII.

Quid ſit Veritas & Falſitas, atque an detur certum utriuſque diſcrimen.

1. Poſtquam Hiſtoriam Propoſitionum, prout in varias claſſes à Scholaſticis rediguntur, abſolvimus, majoris rem momenti expendendam ſeries tractationis oſtendit. Agendum de veritate ac falſitate in genere omnium Propoſitionum, ut verum à falſo ſecernere diſcamus; qua in re aſſequenda Philoſophi omnes unicè laborarunt. Atque hic etiam eſt hujus Artis ſcopus; etenim bene ratiocinando ad veritatis cognitionem pervenire conamur.

2. Vera dicitur Propoſitio, cùm naturæ rei, de qua aliquid affirmatur vel negatur, conſentanea eſt. Ita cum dico 4 *eſſe* $\frac{1}{4}$ *bis* 8, ea Propoſitio eſt vera, quia conſentanea eſt naturæ horum numerorum. Si dicam *bis* 4 *eſſe æquales bis* 3, Propoſitio erit falſa, quia non eſt horum numerorum naturæ conſentanea.

3. Quicunque ſeriò, & juxta id quod ſentit, loquetur, ſe credere neceſſariò nihil medium eſſe inter verum & falſum, fatebitur. Sane omnis Propoſitio in ſe conſiderata nobis videtur aut falſa aut vera; ſunt enim res *contradictoriæ, conſentaneum eſſe*, &, *non conſentaneum eſſe cum natura rerum*. Sunt quidem Propoſitiones veriſimiles, aut falſitatis ſuſpectæ; at hoc ad naturam Propoſitionum, quæ eſt in ſe determinate vera aut falſa, non pertinet; ſed ad cognitionem noſtram, quæ reſpectu hujuſcemodi Propoſitionum nondum ſatis magna eſt, ut certò pronunciare queamus. Qua de re poſtea agemus.

4. Fuere olim Philoſophi, qui hoc unum certum eſſe hominibus contendebant, *nihil eſſe certum*, præter hoc Axioma; veritatemque nullum habere κεκτημενον, quo à falſitate

falsitate in cæteris rebus distingueretur. Verùm cùm diffiteri non possent, quicquid vitilitigarentur, se hoc Axioma: *nihil certum est*, verum existimare, oportet in hoc Axiomate fuerit, juxta eos, aliquod κριτήριον veri, propter quod id reliquarum propositionum omnium incertitudini eximebant. Ac sanè in eam delapsi erant sententiam, quod se in iis quæ ab aliis Philsophorum sectis affirmabantur indubitata incertitudinis κριτήρια inveniſſe existimarent. Igitur dum videri volunt de omnibus dubitare, de omnibus determinata judicia ferunt, cum judicant incerta esse quæ ab aliis dicuntur. Itaque necesse non est ut impugnemus *Pyrrhonios*, aut *Academicos*, quasi negantes notam prorsus esse veritatem, qui se verè de omnium rerum incertitudine judicare putabant, nec minus *Dogmatici*, quam cæteri Philosophi, erant.

5. Verùm ut nobismetipsis satisfaciamus, quærendum unde quod affirmamus de rebusid earum naturæ esse consentaneum sciamus. Animadvertimus, si in nos descendamus, quædam esse quæ necessariò assensum exprimunt, alia verò de quibus judicium cohibere possumus. Ubi inter duas ideas certam relationem videmus distincte & perspicue, fieri nequit quin isti perceptioni acquiescamus, aut diutius de ea quærendum putemus. Ita inter bis quatuor & octo, adeo manifesta est relatio æqualitatis, ut an hoc ita se habeat dubitare nequeamus.

6. At si quis affirmaret *esse incolas in Luna*, diu pensitata hac Propositione deprehenderemus nos nequaquam necessariò ei assentiri; cujus rei ratio est, quod non videamus distincte necessariam relationem inter Lunam & incolas quospiam. Relationem autem eam in dubium, donec evidens animo nostro facta sit, revocare possumus.

7. Hinc colligere est *evidentia* sola nobis omne dubium eximi. Superest quæramus, an ex eo quod de Propositione aliqua nulla ratione dubitare possumus, sequatur eam esse veram?

8. Primùm, circa hanc quæstionem observandum eam esse inter Homines plane supervacaneam, quia quod-

quodcunque tandem de ea judicium feramus, naturam noſtram non mutabimus. Evidentibus ſemper neceſſariò aſſentiemur, & facultatem in nobis dubitandi de obſcuris ſentiemus. Ea quæſtio agitari poſſet inter Naturas alias Rationis participes, de nobis confabulantes; ſed hominibus plane inutilis eſt.

9. Secundò, ſi evidentia reperiretur in Propoſitionibus falſis, neceſſariò in errorem induceremur, quandoquidem neceſſariò evidentiæ aſſentimur. Hinc ſequeretur Deum, qui nos fecit, eſſe errorum noſtrorum auctorem, quandoquidem in errorem nos ineluctabiliter impelleret. At facere ut fallamur non eſt niſi maleficæ naturæ, quod de Deo ſuſpicari nefas. Atque huc redit etiam reſponſio ante adhibita; nempe, ſi quis quærat, quare fallere maleficæ eſſe naturæ putemus, aut quapropter, id in Deum cadere non credamus? aliud ſentiamus ut fruſtra à nobis impetrare nitamur.

10. Tertiò, veritatem neceſſariò amamus, errorem-que odimus; nemo enim non cupidus eſt cognoſcendæ veritatis, nemo ſponte fallitur. Quis à ſe impetrare queat, ut ſuſpicetur ita nos à benefico Numine creatos, ut id vehementiſſime amemus, quod aut conſequi nequimus; aut ſi conſequamur, id nos adeptos nulla arte cognoſcere queamus.

11. Quartò, ſi in evidentibus erraremus, ut in aliis; deprehenderemus aliquando inter evidentes Propoſitiones contradictiones, quæ occurrunt paſſim inter eas quæ de rebus obſcuris agunt. At contra, evidentia evidentibus ſemper conſentanea ſunt; cùm paſſim evidentia ab obſcuris diſſentiant. Unde concludere eſt, Evidentiam non eſſe fallacem, atque in Obſcuritate ſola errorem latere.

12. Igitur Evidentia veritatis eſt κριτήριον, eaque demum vera cenſere nos oporter, quibus neceſſariò aſſentimur. Nam hoc eſt quoque Evidentiæ proprium κριτήριον, ut aſſenſum neceſſariò elicear. Quæcunque ergo evidenter cernimus conſentanea eſſe rebus, de quibus agitur, ea vera eſſe cenſenda ſunt. Contra ubi Propoſitionem aliquam

quam esse contrariam naturæ rei, de qua sermo est, evidenter videmus, eam falsam meritò dicimus.

13. De iis verò, quæ obscura sunt, judicium ferre temerarium est, ut observatum P. I. C. IX. *de obscuritate & perspicuitate idearum*, ubi quæ à nobis dicta sunt non repetemus. Cæterùm quia sæpè temere evidentia dicuntur, quæ revera obscura sunt; quicunque in eum errorem incidere nolet, judicium cohibere quantum potest, & cavere ne affectu ullo præpediatur, ubi veritati rerum cognoscendæ incumbit, debet. Tùm demum obscuris, adeoque falsis, nunquam assentietur.

CAPUT VIII.

De variis Perspicuitatis in Propositionibus gradibus, & Verisimilitudine.

1. QUoniam omnia quæ credimus non nituntur evidenti aliqua cognitione, Philosophi varios in cognitione nostra observarunt gradus, qui ad hosce tamen duos possunt referri, *Scientiam*, & *Opinionem*.

2. *Scientia* est cognitio ex ipsius rei, de qua agitur, introspectione petita, & quæ omnem dubitationem excludit. Potest autem oriri ex simplici intuitione idearum, ut cùm considero hanc Propositionem: *totum est majus sua parte*, & similes quarum veritas sola evidentia, sine ratiocinio, cognoscitur: aut ex principiis evidentibus certas deducendo consequentias, etiam remotiores; quales sunt Geometrarum Demonstrationes innumeræ, per longam ratiociniorum seriem ex primis principiis necessariò deductæ.

3. *Opinio* est assensus animi Propositionibus non evidenter primo intuitu veris, neque ex veris per necessariam consequentiam deductis, sed quæ speciem veri præ se ferre videntur, præbitus. Ita verisimile est Scriptores

res vitæ Alexandri ejus res geſtas nimium extuliſſe. Amazonum Reginam ullam ab eo exceptam fuiſſe, aut ab eo Caucaſum montem unquam conſpectum, veriſimile non eſt.

4. Solent nonnulli hiſce addere *Fidem*, quæ eſt aſſenſus, alicui rem aliquam dicenti, quam ipſi non vidimus, neque ratiocinio invenimus, præbitus. Verùm aut illa Fides nititur concluſione neceſſaria ex evidenti ratiocinio deducta, aut tantùm opinione veriſimili; ideoque ad ſuperiorum alterutram referri poteſt.

5. Hiſce adjici *dubitatio*, vel *dubius aſſenſus*, quanquam hoc quoque eſt ſpecies Opinionis, ſoletque generali nomine Opinionis contineri, poſſet. Tum eſt dubius aſſenſus, quando levis eſt veriſimilitudo; quæ, cùm magna eſt, firmam Opinionem parit. Verùm ut hæc meliùs intelligantur, gradatim procedemus à veriſimilitudine incipiendo, donec ad evidentiam devenerimus.

6. Cùm, ut in antecedente Capite vidimus, veræ Propoſitiones eæ dicantur, quæ ſunt conſentaneæ naturæ rerum, de quibus efferuntur, veriſimiles ſunt quæ videntur naturæ rerum conſentaneæ. Ea veriſimilitudo poteſt eſſe major aut minor, producitque adeo Opinionem firmiorem aut infirmiorem. Nititur autem, ſummatim conſiderata, cognitione, ac experientia noſtra, ſeu vera ſeu falſa.

7. Ut à minima veriſimilitudine ad maximam eamus, primò obſervandum infimum gradum veriſimilitudinis niti aliena relatione, ubi ſola hæc occurrit credendi ratio; in qua tamen variæ ſunt circumſtantiæ conſiderandæ.

8. Si qui aliquid narrat prorſus nobis ignotus ſit, licèt quod narrat ſua natura incredibile non ſit; attamen quia nobis non conſtat aliis experimentis, an ſit fide dignus, prorſus aſſentiri non audemus, ubi aliæ non occurrunt circumſtantiæ, quæ ejus dictis pondus addant. At ſi ſit leviter notus, procliviores ſumus ad ei fidem adhibendam, præcipue ſi ſit vir celebris, auctoritatis magnæ apud pleroſque, licèt experientia nobis non liqueat, an tam famam, auctoritatemque meritò adeptus ſit. Imo homini

homini diviti, licèt cæteroquin animi dotibus deſtituto, potius credimus quam pauperi, quod nempe eum cum rerum peritioribus verſari, non pauperem, ſuſpicemur, Facies honeſta, & ſermones probi, cæteroquin leviter noto, faciunt, ut non ægre aſſentiamur.

9. Si notior aliquis nobis aliquid narret, quo notior eſt, hoc eſt, quo plura veracitatis ejus habemus documenta, eo promptiorem apud nos invenit fidem; quamvis quin fieri poſſit eum in ea re fallacem eſſe, dubitare nequeamus. Ægre nobis perſuademus nos falli ab eo, quem ſcimus ut plurimum veracem fuiſſe, quia rarius fit ut aliquis qui veracitatis habitum contraxit, aut alium quempiam, contra diſpoſitionem animi agat.

10. Sunt præterea variæ circumſtantiæ, quæ vim addunt teſtimonio aliorum, ut ſi res fuerit ejus generis, in qua difficillime falli potuerint; ut ſi homines non vani ſe aliquid vidiſſe, tetigiſſe, diligenter expendiſſe, non leviter atque ὡς ἐν παρέργῳ obſervaſſe teſtentur. Præterea augetur veriſimilitudo, ſi qui loquuntur nullam ex fide ipſis adhibita utilitatem trahant; aut etiam ſummum adeant periculum, dum ſe aliquid vidiſſe dicunt, quod periculum ſilentio vitarent. Si addatur etiam teſtium numerus amplior, tum tanta inde naſcitur veriſimilitudo; ut, niſi rei natura obſtet, vix aſſenſum cohibere poſſimus.

11. Secundum, quod hic animum noſtrum afficit, eſt ex ipſa rei natura, ſimulque experientia propria ductum. Si res plane impoſſibilis proferatur, ut poſtea dicemus, quicunque eam narret, dum impoſſibilis videbitur nunquam credetur. Hoc enim eſt indicium falſi.

12. Requiritur ante omnia, ut id quod dicitur fieri poſſe putetur; ſi tamen nunquam id viderimus, nec ab aliis experientia compertum unquam audiverimus, licèt res non ſit impoſſibilis, exiguam apud nos fidem inveniet. Exempli gratia, ſi quis nobis narraret ſe vidiſſe apud Indos adamantem nitidiſſimum, qui craſſitie caput humanum æquaret; quamvis in ea re animus noſter nihil videat plane impoſſibile, aut contradictorium; attamen

vix

vix crederemus, quia nec ipsi unquam tantæ magnitudinis adamantem vidimus, nec ab alio ullo conspectum fando accepimus. † Hoc olim vidit *Empedocles*, cum dixit, ea quæ neque conspecta sunt, neque audita ab hominibus, mentem non subire,

Οὕτως οὔτ' ἐπιδερκτὰ τά δ' ἀνδράσι, οὔτ' ἐπακουστά,
Οὔτε νόῳ περιληπτά.

Idem etiam dixerat:

Αὐτὸ μόνον πεισθέντες ὅτῳ προσέκυρσεν ἕκαστος.

Hoc tantum unumquemque persuaderi quod probat. Eleganter etiam * Plinius: *Varia opinio ex ingenio cujusque, vel casu.*

13. Quando simile quid vidimus, aut ab aliis visum accepimus, consideramus præterea quam rarò, aut quam frequenter id acciderit; quo enim frequentiùs viderimus, aut ab aliis oculis usurpatum resciverimus, eo faciliùs credemus; & vice versa, quo rariùs, eo difficiliùs. Ita si quis dicat se pontem vidisse lapideum, fluvio impositum, centum aut ducentos passus longum, haud ægre assensum nostrum obtinebit; sed difficilius narranti se vidisse pontem ex solido marmore æstuario marino oppositum ad quatuor passuum millia porrectum, & alium pontem uno tantùm quadringentorum pedum fornice suffultum, quales apud Sinas esse dicuntur, credemus?

14. Juxta eandem experientiam, ad examen revocamus circumstantias rationis, qua aliquid factum esse dicitur, personarum, loci, temporis, quæ si cum iis quæ novimus conveniant, vim addunt relationi. Consideramus etiam quæ potuerint esse causæ, quæ ad actionem quæ nobis narratur, edendam, eum cui tribuitur, impulerint. Si enim agatur de re plane inusitata, sine gravibus rationibus facta esse credi nequit, quæ rationes si prorsus ignorentur, res dubia ad minimum in animo nostro remanet. Si verò gravissimæ rationes animo obversentur, propter quas id fieri oportuerit, non dubitamus, aut saltem facilè credimus rem evenisse, modò constet, aut constare videatur eas causas Agenti non fuisse ignotas,

† *Apud Laërtium in Pyrrhone.* * *Hist. Nat. Lib.* vii c. 16.

tas. Sic haud ægrè Hebræorum priſcis Hiſtoriis, portenta plurima inter Hebræos à Deo edita fuiſſe, credimus; quia graviſſimi momenti erat, ſaltem unam Gentem ab Idololatria incorruptam tuere, quod ſine illis miraculis fieri non potuit. Sed ægerrimè Deum, poſtquam Chriſtiana Religio ſemel radices egit, prodigum miraculorum fuiſſe, propter res nihili, qualem eum deſcribunt & anteriorum ævorum Monachi, & noſtri temporis Pontificii, ut credamus in animum inducimus.

15. Tertium, quo ad credendum quippiam adducimur, in nobiſmetipſis quærendum. Sunt enim quidam eventus, quorum veritas conſtare non poteſt, niſi iis qui animum prius certa cognitione imbutum habuerint. Exempli cauſa, hi ſunt eventus priſcæ Hiſtoriæ: *fuit Macedoniæ Rex, qui Alexander vocabatur, à quo ſubacta eſt Aſia, devicto Perſarum Rege Dario.* Homini in Græcorum & Romanorum Hiſtoriis verſato hæc uſque adeo conſtant, ut in dubium ea revocare nequeat; Hiſtoriæ vero imperito an vera ſint non liquebit. Nimirum, prior plurimos Hiſtoricos ea de re legit, variorum temporum, & populorum, inter quos omnes de ſumma rei convenit. Seriem totius Hiſtoriæ, cum qua hæc ſunt connexa, novit, & ad eam cognitionem gradatim multiplici lectione pervenit. Itaque alteri ſi velit idem perſuadere, oportet eum ad eam veritatem per eoſdem gradus, per quos ad eam pervenit, deducat; alioqui pertinaciori nunquam fidem faciet.

16. In hac porrò veriſimilitudine rerum ab alio relatarum, quo plures aut pauciores ex memoratis circumſtantiis occurrunt, eo minor aut major eſt. Imo ubi contingit omnes, aut longe plurimas occurrere, tanta eſt vis conjunctarum earum circumſtantiarum, ut animos noſtros æque afficiant ac maxima evidentia. Exempli gratia, qui legit Hiſtorias rerum à Romanis geſtarum, non magis an fuerit *Julius Cæſar*, anve *Pompeium* vicerit, quam an lineæ à circumferentia circuli ad centrum ductæ ſint æquales, dubitare poteſt. Qui natus eſt in cultioribus Europæ partibus, in dubium revocare an exiſtat

urbs

urbs Roma, aut extiterit ſaltem hoc ſæculo, uſque ad ætatem noſtram, nequit; nec ſecius quam triangulum conſtare tribus lineis rectis, credit.

17. Quemadmodum autem in rebus theoreticis, & quæ à ratiocinio pendent, evidentia veritatis eſt κειτήριον: ita in rebus, quæ *facti* dicuntur, concurſus tot circumſtantiarum indicium veri indubitatum eſt. Certè hiſce circumſtantiis non magis reſiſtere licet, quam ſummæ evidentiæ, ideoque aut verum ſuadent, aut ita à Numine creati eſſemus ut neceſſariò falleremur.

18. Veriſimilitudo nititur quoque ſolis noſtris ratiociniis, ſolave noſtra experientia, ſine aliorum interventu, & omiſſis reliquis, quas ante enumeravimus, circumſtantiis; atque hîc etiam varii gradus diſtingui ita queunt, ut ubi ad ſummum ventum eſt, jam non amplius veriſimilitudo, ſed explorata veritas habeatur, & aſſenſum noſtrum indubitatò eliciat.

19. I. Ubi agitur de rebus, quas novimus quidem aliquatenus, ſed perſpectas non habemus, poſſumus veriſimilia quidem de iis ferre judicia, potius quam ſi plane eſſent nobis ignotæ; attamen vacillat ejuſmodi veriſimilitudò, facile enim nos erraſſe perſuaderi poſſumus. Sed ubi res eſt nobis experientia perſpecta, certiora multò judicia de aliqua ejus proprietate, licèt ipſa non ſit nobis perfectè nota, feremus. Sic aurifaber, qui ſæpius aurum liquefecerit, & varie tractaverit, poteſt certiùs judicare de quibuſdam ad aurum pertinentibus, quæ non vidit, quam alius qui circa aurum exercitus nunquam fuerit.

20. II. Veriſimilius eſt eum de re quapiam recte judicare, qui prius de ea dubitaverit, nec judicarit, niſi poſt ſerium & longum examen; quam qui de re diu non verſata, præceps judicium tulerit. Sane nobiſmet ipſi magis credimus, poſtquam diligens examen adhibuimus, quam ubi judicium nimis citò ferendum fuit. Diligens autem examen non id poſt quod nullum ſuperſit plane dubium, neque enim natura rerum, de quibus judicium ferendum eſt, ſemper patitur ſe ita introſpici, ut omne

dubium

dubium nobis eximatur; ſed examen, quale adhiberi circa rem ejuſmodi poteſt, vocamus. Sic paucas ſubſtantias, imo potius nullas, poſſumus ita expendere, ut certò pleraſque proprietates earum nobis eſſe notas conſtet. Hinc fit ut Phyſica tota, exceptis iis quæ experientia cognoſcuntur, conjecturalis ſit.

21. III. Si antequam judicium de re aliqua feramus, exercitati ſumus in ejuſmodi inveſtigationibus, & ſæpiùs judicia ſimilia de aliis rebus tulimus, quæ experientiæ conſentanea erant; inde ſumpta quadam inveniendi veri fiducia, facilius nos rem acu tetigiſſe, quæ tamen fiducia ſæpe fallax eſt, ſperamus.

22. IV. Prout nuper aut olim de re quapiam judicavimus, poſt examen inſtitutum, judicia eo tempore, quo eorum recordamur, ſunt nobis certiora aut incertiora. Etenim ubi recens eſt memoria examinis, & totius rationis qua inſtitutum eſt, veriſimiliora judicia noſtra nobis videntur. Sed cùm tenuis tantùm examinis illius ſupereſt memoria, tum facile ſubit de diligentia in examine adhibita dubitatio, nec audemus noſtra judicia audacius tueri.

23. V. Cum experientia notum ſit in ea re quam expendimus eſſe certas proprietates, vulgo ignotas & ſolo ratiocinio cognoſcendas, divinaſſe nobis videmur, eo veriſimilius quo cum notis proprietatibus melius conveniunt. Si quæratur quæ Hypotheſis circa diſpoſitionem Solaris Vorticis, in quo Terra noſtra eſt, ſit ſimilior vero, *Ptolemæi*, *Tychonis*, aut *Copernici*? hujus Hypotheſis aliis præferetur, quia ejus operatio aliqua omnium φαινομένων, ſeu eorum quæ circa nos in Planetis & Stellis fixis apparent reddi poteſt, cum juxta alias ſuperſint plurima plane ἄλυτα. In ſimilibus inveſtigationibus, magnum etiam pondus habet Hypotheſis ſimplicitas. Quo enim pauciora ſupponuntur, ad reddendam τῶν φαινομένων rationem, eo plauſibilior eſt Hypotheſis, modò ejus ope omnibus ſatisfiat.

24. VI. Ubi agitur de re, quæ ſenſibus obnoxia eſt, poſtquam ſenſus recte diſpoſitos adhibuimus; tum non amplius

amplius ſimplex probabilitas, ſed indubitata veritas animo obverſari videtur. Sunt tamen cautiones adhibendæ, quas hîc non memorabimus, cùm earum conſideratio ad Phyſicam potius pertineat. Præterea obſervandum, ſenſus non ad objecta penitus cognoſcenda, ſed tantum quatenus ad vitam hancce tuendam cognitu neceſſaria ſunt, nobis eſſe datos.

25. Cæterùm quibuſdam ſenſibus magis credimus quam aliis, ut viſui magis quam auditui; quia magis afficimur iis quæ ope oculorum nobis innoteſcunt, quam iis quæ per aures ſubeunt. Sed quando plures ſenſus concurrerunt in aliqua re deprehendenda, ut cùm vidimus, tetigimus, audivimus, tum prorſus convincimur, neque ullatenus nobis dubitare licet, utrum aliquid ante oculos noſtros verſatum fuerit. Ita ſi amicum vidimus, audivimus loquentem, complexi ſumus, dubitare non poſſumus, quin re vera is ſit: uti dubitare non licet an linea curva, quæ à certo puncto ad aliud porrigitur, longior ſit linea recta, quæ inter duo illa puncta duceretur. Igitur ejuſmodi convictio ex ſenſibus orta, evidentiæ ratiocinii æquivalet, quoniam illi quam huic non magis licet reſiſtere.

26 Ex hiſce omnibus liquet hoc diſcrimen inter tenuiorem veriſimilitudinem eſſe, & ſummum ejus gradum, quod huic aſſenſum negare nequeamus, illa vero animo noſtro obverſante judicium cohibere poſſimus, ſi velimus, aut etiam aſſentiri.

27 Alius eſt autem Propoſitionum veriſimilium uſus in vita communi, alius in rebus Philoſophicis, ac mere theoreticis. In vita communi, rarò evidentibus utimur ratiociniis ad agendum, ſatis eſt modo ſit veriſimilitudo haud ſpernenda, ut determinemur ad aliquid faciendum. Si enim immoti ſtaremus, donec evidentiſſimè nobis conſtaret quid ſit agendum, nobis foret brevi pereundum. Attamen non oportet nos ita gerere, ut leviſſima veriſimilitudine commoveamur in omnibus. Quantum fieri licet, omnia ſunt diligenter expendenda, & is habitus comparandus judicandi recte, ut celeriter plerumque id

fieri queat. Sæpiſſime etiam ex duabus rebus, non omnino certis, eligenda eſt ea quæ minus periculum, ſi fallamur, ſecum trahit. Verùm iſta ad Ethicam pertinent.

28. In philoſophicis verò, pro gradibus verſimilitudinis, etiam moderandus aſſenſus, ita ut levi veriſimilitudini levis tantùm fides, majori firmior, & ei quæ evidentiam æquat plenus aſſenſus præbeatur. Alioqui ſi obſcuræ adhuc Propoſitioni, propter ſpeciem aliquam veritatis, quam præ ſe fert, pleno animi aſſenſu quaſi evidenti aſſentiremur, in periculum erroris manifeſtum, ut à nobis alibi obſervatum eſt, nos conjiceremus.

29. Cæteroquin in omnibus *Evidentiam Mathematicam* exigere non debemus, quandoquidem ea tantùm habet locum in ideis abſtractis & adæquatis, quarum omnes relationes & partes novimus. At in rebus *Facti*, *Evidentia Moralis*, qualem in hoc Capite deſcripſimus, ſeu ſummus veriſimilitudinis gradus, cui neceſſariò aſſentimur, ex circumſtantiarum concurſu exſurgit: in quo acquieſcere par eſt.

CAPUT XI.

De Propoſitionibus Dubiis, Falſitatis Suſpectis, & Falſis.

1. QUemadmodum in antecedente Capite varios gradus, quibus ab infima veriſimilitudine ad veritatem indubitatam aſcendimus, luſtravimus: ita in hoc, per ſimiles gradus, qui à dubitatione ſunt ad perſuaſionem uſque evidentem, qua falſum aliquid eſſe ſtatuimus, deſcendemus.

2. *Dubia* in genere ſunt ea, in quibus nulla occurrunt evidentia veri aut falſi indicia; qualia ſunt quæ leviter veriſimilia ſunt. Interdum in iis pauculas circumſtantias, quibus ſolet veriſimilitudo effici, ſine ullis quæ excitent

citent in nobis ſuſpicionem falſi, cernimus. Ejuſmodi ſunt antiquæ nonnullæ Hiſtoriæ, quas nec rejicere, propter aliquam ſpeciem mendacii; nec etiam admittere, quaſi indubitatas, quod non ſint in iis ſat multa indiciæ veri, poſſumus. Ita quod Sinæ de antiquiſſimis ſuis Regibus, & præſertim de *Fohi*, qui haud multo poſt Noachum vixit, neque certum haberi, neque quaſi mendacii ſuſpectum traduci à nobis poteſt. Similiter ſi quis rerum Univerſitatis eſſe multo plures incolas, quam ſunt homines, eſſeque alios Planetas felicioribus, aut infelicioribus colonis occupatos, affirmaret, hoc rejicere quaſi falſum, aut credere quaſi verum nequiremus.

3. Interdum ſunt quædam circumſtantiæ, quæ mendacium comitari ſolent, aliis haud improbabilibus permixtæ; ſed ita ut hæ poſteriores majori ſint numero, aut majoris ponderis. In fabulis Græcorum, quæ ſunt antiquiſſima Græciæ fama, ſunt plurima mendacia manifeſta; attamen ſi accuratè expendantur, occurrent circumſtantiæ plurimæ, quæ oſtendent veriſimillimum eſſe priſcis Græciæ colonis plurima accidiſſe, quæ fabulis occaſionem dederint, atque adeo quæ narrantur à Poëtis, non eſſe omnia falſa; ſed verum à mendacio ſecernere, ſaltem ubique, difficile eſt. Conjectura *Carteſii* de materia quadam ſtriata, quæ poros Magnetis permeet, laborat difficultate hac; nimirum, ſi ex duobus magnetibus materia contrario motu exiret, ſe invicem pelleret, & præterea incidens in partes ſolidas Magnetis, videtur potius utrumque Magnetem repulſura, quam conjunctura, ſubeundo utriuſque poros. Attamen ea difficultas tanta non eſt, quin reliqua videantur veriſimilia, ut pæne neceſſe ſit fateri aut hoc eſſe quod dicit Carteſius, aut aliquid ſimile.

4. Sunt alia, in quibus occurrunt totidem rationes credendi aliquid eſſe falſum, ac ſunt ejuſdem rei quaſiveræ admittendæ. Hoc plurimi judicium ferant de † Gigantibus, ac Giganteis oſſibus, quæ in variis locis reperta narrantur. Ejus generis ſunt plurima, quæ paſſim de Dæmoniorum

† *Vide Rykii Orationem de Gigantibus.*

apparitionibus dicuntur. Eodem quoque loco haberi queat quæſtio, an ſit nexus naturalis inter voluntatem noſtram & motus quarundam partium corporis, ut brachiorum, pedum, &c. an verò ſit res à divino pendens arbitrio, quod veluti vinculum rerum natura diverſarum ſit?

5. Secundo, ſunt *falſitatis ſuſpectæ* Propoſitiones, in quibus plura & graviora indicia falſi, quam veri ſunt; licet ea indicia neceſſariò aſſenſum non eliciant. Indicia autem hæc ſunt oppoſita ſignis veriſimilitudinis, unde poſſunt facile colligi, ne eadem repetere hic neceſſe ſit. Ita oſtendi poſſet hic longa ſeries Regum Aſſyriorum, quam ex *Cteſia* habent Vett. nonnulli Hiſtorici, plura habere ſigna mendacii, quam veritatis; licet ἁπτόμως negari nequeat. Quod dicit *Carteſius*, de ratione qua tonitrua formantur, nivoſarum nubium, quæ inter ſe exhalationes colliduntur, concurſu, ejuſmodi eſt ut videatur falſum eſſe, nec tamen prorſus rejici queat, ut in Phyſica oſtendemus.

6. Eadem hic ſervanda cautio, quam circa veriſimiles Propoſitiones tradidimus. Nempe de dubiis dubitandum, de falſi ſuſpectis ſuſpicio eſt animo fovenda. Temerarium eſſet eas confundere cum falſis prorſus, non minus ac ſi compertæ veritatis haberentur. Nec inter ſe etiam ſunt confundendæ, quaſi ubicunque occurrit dubitandi levis occaſio, falſitatem ſubeſſe ſuſpicaremur neceſſe eſſet.

7. *Falſæ* denique à nobis dici meritò poſſunt Propoſitiones, aut *evidentiæ Mathematicæ*, aut *Morali* oppoſitæ. Ita falſum eſt corpus humanum, aliquot pedes longum, poſſe intra fruſtulum panis tenuiſſimum contineri. Falſam Propoſitionem proferret, qui nunquam fuiſſe urbem, quæ *Roma* vocaretur, diceret.

8. Verùm licèt hæc natura ſit falſarum Propoſitionum, non ſemper perinde eſt nota; ideoque libertate noſtra, qua poſſumus obſcuris aſſentiri, abuſi ſæpe quod falſum eſt ſtatuimus eſſe verum. Attamen non poteſt evenire, ut id cujus falſitas nobis nota eſt, à nobis ſimul habeatur pro vero; hoc enim repugnat *verum, & non verum habere idem.*

9. Uni-

9. Universalis, & qua omnes aliæ continentur, origo *Erroris*, quo falsum existimamus esse verum, est is abusus, quem diximus, libertatis, quo fit ut obscuris assensum præbeamus, quasi perspicuis. Sed sunt particulares quædam erroris occasiones paulò minus generales, quæ dignæ sunt quæ à nobis, ut ab iis caveri possit, recenseantur.

10. Primùm, aliquando desunt rationes seu argumenta, quæ possent quidem haberi, sed judicaturis eo tempore non suppetunt Si judicium tum feratur, periculum est summum erroris. Ita si quis sine instrumentis necessariis quæ Poli sit altitudo, quam aliunde non acceperit, iudicare aggrediatur, falli potest, nec veritatem nisi casu inveniet. Si quis, sine Historiarum lectione, judicare velit de quapiam gente, quam non vidit, summopere periclitatur. Idem subit periculum, qui de re aliqua decretorium judicium ferre aggreditur, licèt necessaria documenta à nemine possint comparari; ut si quis dicat in aliqua substantia nihil esse, nisi quod in ea videt, is se manifesto exponit periculo erroris, quod nulla arte possit certior fieri an idea sustantiæ illius, quæ idea animo ejus obversatur, adæquata sit, nec ne. Quam multa de divina natura, Deique decretis dicta sunt, ad quorum veritatem cognoscendam necessaria nobis desunt subsidia? Deficientibus omnibus Historicis Monumentis, Historia Gentis alicujus cognosci nequit. nec quidquam verum nisi casu de ea dici. Quot conjecturæ inanes circa Historiam Sacram, & Ecclesiasticam, quasi certæ afferuntur, quæ multò majorem Historiarum requirerent lucem, si de iis quidquam certi statuendum esset?

11. Secundò, erroris occasio est imperitia eorum qui ratiocinantur, qui sæpe ingenium ac judicium suum nunquam excoluerunt. Licèt rationes validæ afferantur, quibus periti commoverentur, non assentiuntur; quia nec usu didicerunt bene ratiocinari, neque ad Artis regulas unquam animum adplicuerunt. Sic plerosque homines qui Artibus Mechanicis, ad vitam sustentandam, operam dant; extra ea quæ experientia norunt, stultè ratiocinari,

cinari, inepta argumenta quaſi ſolida admittere, & ſolida quaſi inania repudiare quotidie videmus. Hoc præſertim in Religione obſervare licet, in qua portenta quævis plebecula, quaſi demonſtrata, credulis auribus bibit. Imo qui honeſtioris ſunt ordinis, ipſi etiam Magnates, qui in voluptatibus vitam terunt, ita judicium ſuum negligunt; ut, præter ea quæ à ſtultorum Magiſtra Experientia didicerunt, nihil pæne teneant, & à peritioribus, aut fraudulentis hominibus nullo negotio in abſurdiſſimas opiniones conjiciantur. Cujus rei nimis ſunt frequentia exempla, & antiqua & recentia.

12. Tertia erroris cauſa in eo ſita eſt, quod argumentis veri aut falſi, quæ alioqui nota ſunt, aut cognoſci poſſunt, ſæpe homines uti nolint; quod oritur ex variis affectibus. Impatientia laboris, exempli cauſa, impedit quominus longum ratiociniorum nexum expendere, aut ſat multa experimenta expectare velimus, citiuſque judicemus, quam cognoverimus, facit. Cupiditas famæ, qua quamprimum frui optamus, dum eruditi volumus videri, antequam ſimus, judiciorum præproperorum de rebus non ſatis notis cauſa eſt. Odium alicujus hominis, aut ſectæ, ut inauditos ſæpe damnent qui ſunt eo affectu præpediti; neve ulla ratione induci queant ut adverſariorum, aut inimicorum argumenta expendant, efficit. Cujus rei, ne exempla apud Ethnicos ſolos extarent, degeneres Chriſtiani Veteres & Hodierni operam dedere.

13. Quarta denique cauſa Erroris ſita eſt in fallacibus regulis veriſimilitudinis, quæ ad quatuor potiſſimas claſſes referri queunt, & quarum aliquot obiter notavimus, ubi de veriſimilitudine egimus.

14. Prima eſt *opinionum dubiarum*, quæ poſtquam quaſi indubitatæ admiſſæ ſunt, innumeros alios errores pariunt, quando falſas eſſe contingit. Ita ſuppoſito verè contigiſſe innumera, quæ à ſuperiorum ſæculorum Monachis narrantur, miracula, ad ſepulcrum aut ſignum ſancti cujuſpiam viri, inde ſequitur rectè eos facere, qui Religionis cauſa ea ſepulcra adeunt, aut imagines venerantur; aliaque ejuſmodi haud pauca indidem con-

consequentur. Ex uno enim principio, multæ deducuntur consequentiæ.

15. Secunda est *receptarum Hypothesium*, quæ quasi evidentis veritatis supponuntur, quod ab infantia viderimus eas admitti ab omnibus inter quos viximus, & ab iis etiam quos amamus, aut colimus. Cùm enim à teneris unguiculis aliqua opinione, quam tum expendere nequibamus, imbuti fuimus; haud facile ab animo nostro evellitur, aut etiam dubia redditur. Sæpissime autem opiniones receptæ universim à maximis gentibus falsissimæ sunt, unde etiam numerosa figmentorum, per consequentias, nascitur propago. Ita cum Romanorum plerique crederent Romulum & Remum à lupa nutritos, cum ipsa illa in re fallebantur, tum etiam animum, ad similes credendas nænias, parabant. Hujus rei exemplum est *Trogus Pompeius*, qui cùm quendam *Habidem* antiquissimum Hispaniæ Regem cervæ lacte nutritum fuisse accepisset, non audebat in dubium revocare; quod alioqui etiam de θηριοτροφίᾳ Romuli & Remi, cùm non esset major ratio credendi unius quam alterius, dubitandum fuisset. † *Hujus casus*, inquit de Habide Justinus, *fabulosi viderentur, nisi & Romanorum conditores lupa nutriti, & Cyrus Rex Persarum cane alitus proderetur.*

16. Tertia est *affectuum*, qui nos ad fidem adhibendam parant, aut contra animum nostrum obstruunt quibusdam opinionibus. Verisimile sæpe aliquid nobis videtur, quia nostra interest, ut verum sit aut videatur, * *Quæ volumus, & credimus libenter; & quæ sentimus ipsi, reliquos sentire speramus.* Hoc quotidie observare est, cùm nos aut vicini, sociive bellamus. Clades nostrorum exercituum, aut peccata ducum, si quæ nuncientur, non credimus. Contrà victorias nostrorum credulitate nimia amplificamus, & imperitiam aut ignaviam hostium augemus. Idem, quem modò laudavimus, Scriptor de Æduis falso nuncio deceptis: *impellit alios avaritia, alios iracundia, & temeritas quæ maximè illi hominum generi est innata, ut levem auditionem*

† Lib. xliv. c. 4. * Cæs. de Bell. Civil. Lib. 11. c. 27.

habeat pro re comperta. Lib. vii. B. G. c. 42. Atque hac in re tanto agimur affectu, ut illis vehementer indignemur, qui audent oſtendere quam levi talo nitantur noſtræ Opiniones. Nec deſunt etiam qui pignora deponant, ea amiſſuri, niſi ſui conſtituta die victores evaſerint. Cùm metus eſt ingens, quæ metui conſentanea ſunt, etiam à levibus auctoribus perſuadentur. Sic Tyriis ab Alexandro obſeſſis, & rerum ſuarum trepidis, cùm neſcio quis dixiſſet oblatam eſſe per ſomnum ſibi ſpeciem Apollinis urbem deſerentis; *quanquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aurea catena devinxere ſimulacrum,* ut narrat *Curtius* Lib. iv. c. 3.

17. Ubi agitur de dogmatibus ſpeculativis, ea credimus etiam eſſe vera, quorum veritate ſuppoſita, melius nobis eſt, aut eſſe putamus. Multi ſunt & fuerunt apud plurimas Ethnicorum, Judæorum, Muhammedanorum, imo & Chriſtianorum familias, qui ea ſe credere profitentur, & credunt re ipſa, quorum fides ipſorum commodis conducit. Quæcunque dubia in animo naſcuntur circa dogmata, quibus ſine moleſtia aut periculo, fidem detrahere non poſſunt, ea veluti naſcentia, animum ad alia avertentes, ſuffocant. Quod ſuis honorificum id facile ſibi perſuadere ſinunt, difficilius quod indecorum eſt. Imo interdum ſermone ita eum animi affectum produnt homines, ut licèt veritatem ſe videre profiteantur tamen indicent ſe paratos contrarium credere, ſiqua eſſet qua ſe poſſent tueri auctoritas. Ita Livius Lib. xxi c. 40 ubi loquitur de Scipione Africani patre Pœnis erepto: *Servati,* inquit, *Conſulis decus Cœlius ad ſervum natione Ligurem delegat* MALIM *equidem de filio verum eſſe, quod & plures tradidere auctores & fama obtinuit. Curtius* de deleta, per temulentiam, ab Alexandro Perſepoli: *Pudebat Macedones tam præclaram urbem à comeſſabundo Rege deletam eſſe. Itaque res in ſervum verſa eſt, &* IMPERAVERUNT *ſibi ut crederent illo potiſſimum modo fuiſſe delendam.*

18. Admiſſis præ affectu dogmatibus, idem affectus facilè ſuadet ea quæ dogmati iſti conſentanea ſunt, poſſuntque

ſuntque ad id confirmandum prodeſſe, eſſe veriſſima: Admiſſa ſuperſtitioſa Opinione de prodigiis, Romani facillime quod nunciabatur ſimile credebant, præſertim difficilibus temporibus, quod idem, cujus verba modò attulimus, *Livius* obſervavit Lib. xxi. c. 61. *Multa ea hyeme*, inquit, *prodigia facta, aut, quod evenire ſolet motus ſemel in Religionem animis, multa nunciata & temerè credita ſunt.* Ita Pontificii, admiſſo ſemel imaginum cultu, exempli gratia, aut ſumma Epiſcopi Romani auctoritate, avidè arripiunt quæcunque ad hæc tuenda dogmata apta ſunt. Monumenta fictitia, primorum ſæculorum Chriſtianis ſuppoſita, quaſi genuina defendunt, ubi ex iis aliqua pro illis ſuis Opinionibus argumenta deducere queunt. *Martinus Lutherus* rejecit Epiſtolam Jacobi, Apoſtolico ſpiritu plenam, quod adverſeretur Opinioni temerè conceptæ de inutilitate bonorum operum. Veritate quapiam meritò admiſſa, quia eam non ſemper ut veritate dignum eſſet, ſed cæco affectu defendimus, quicquid ad eam ſartam tectam ſervandam conducere poſſe videtur, non ſatis accuratè expenſum ſæpe arripimus. Scripturæ divinæ unica, in dirimendis Chriſtianorum controverſiis, ſummo jure propugnatur auctoritas; at propterea aut nulla eſſe in ea Librariorum vel levia menda, aut puncta Hebræorum vocalia à Prophetarum manu eſſe, quoſdam pertinaciter contendere par non erat. Atque ejuſmodi errorum, ex affectu natorum, exempla ſunt innumera.

19. Quarta veriſimilitudinis mala ratio eſt ex *auctoritate*, cui temerè confidimus, petita. Paſſim videmus homines, quibus ſanè humanum ingenium & humanæ facultates deberent notiſſima eſſe, alii quaſi certo ſibi compertum eſſet cum non falli, credere; cum nonniſi inanes temerariæ ſuæ fidei rationes habeat. Certè hominibus, cum de re agitur, quam aliter, niſi ex eorum relatione cognoſcere non poſſumus, ubi eorum relatio habet indicia veritatis, de quibus in Cap. antecedente diximus, nunquam ſimplici auctoritati, rationibus deſtitutæ, aſſentiendum. Ita qui credunt Eccleſiæ, aliquid ſine rationi-

bus affirmanti, & putant eandem Eccleſiam eſſe ἀναμαρτητὸν, non propter rationes aliquas, ſed quia ita edocti ſunt, & ad illam Opinionem, quaſi ad ſcopulum quendam è naufragio, appellentes, ab infantia adhæſerunt, auctoritati temerariam fidem adhibent.

2. Denique, circa hæc omnia obſervandum ut plurimum eſſe quandam συμπλοκὴν cauſarum, quæ nos in errorem conjiciunt; ac rarò, propter unicam, nos in errorem delabi. Inopia argumentorum; imperitia in iis expendendis, quæ ſuppetunt; eorumdem neglectus, quo fit ut ea ne conſiderare quidem velimus; fallaces veriſimilitudinis rationes, dubia dogmata pro compertis habita, opiniones vulgò receptæ, perturbationes animi, auctoritas malè tuta, omnia interdum confertim in animos noſtros ſimul irruunt, interdum diviſis, ut ita dicam, copiis nos aggrediuntur, & tranſverſos nullo negotio agunt.

21. Contra hæc una generalis cautio eſt, jam allata; ſi nulli Propoſitioni, firmo animi judicio aſſentiamur, dum eſt obſcura, ſeu, dum ſentimus nos poſſe, ei aſſenſum negemus; veriſimilitudini verò eatenus, quatenus ad verum accedit, credamus.

22. Sed ſunt præterea ἀλεξιτήρια ſpecialia adhibenda, petita ex conſideratione cauſarum, quæ nos in errores conjiciunt. Ubi, nimirum, expendenda eſt Propoſitionis alicujus veritas, aut falſitas, videndum anxiè annon ad eam admittendam aut rejiciendam proclives forte ſimus, propter aliquam ex memoratis cauſis. Si quid ſimile in nobis eſſe ſuſpicemur, quam diutiſſime fieri poteſt ſuſpendendum judicium, res altius inveſtiganda; interdum etiam alios, in quibus eædem præconceptæ Opiniones non ſunt, conſuluiſſe profuit

23. Exempli cauſa, ſi deprehendamus à nobis Opinionem aliquam animo admiſſam, eo quod à magno virorum doctorum numero recepta fuerit, quod animadvertemus ſi ſeverè noſmet ipſi interrogantes, nullam aliam rationem ob quam dogma quodpiam animo noſtro inſederit proferre poſſimus; Si, inquam, nos ſolo numero

ſic

ſic opinantium niti ſentiamus; tum utile erit cogitare, alias ſectas Philoſophorum aut Theologorum, quorum numerus ſæpe minor non erit, interdum etiam major, contraria, aut diſſimilia affirmaſſe; quod, nempe, viri plurimi, eorum judicio præſtantes, eaſdem ſententias foviſſent. Hinc nobis opinionis noſtræ quam infirmum ſit fulcrum, liquebit; ſi vel minimum amantes veritatis ſimus. Atque eadem ratione in cæteris agendum erit, niſi malimus in erroris periculo, quam in certa veritatis luce verſari.

Caput X.

De Fide.

1. Capite viii. §. 4. Fidem poſſe aut ad Scientiam, aut ad Opinionem referri oſtendimus, ideoque quæ de hiſce duabus hactenus diximus poſſent etiam Fidei accommodari. Verùm quia de re agitur maximi momenti, propter Chriſtianorum controverſias, paucis ſingulari Capite ea de re agendum.

2. *Fides* in genere dicitur Aſſenſus Propoſitioni præbitus ab alio prolatæ, cujus veritatem ratiocinio aut experientia ipſi immediate non deprehendimus, ſed ab alio deprehenſam credimus. Poteſt diſtingui in *cæcam* & *oculatam*. *Cæca* fides eſt, qua propoſitioni prolatæ ab aliquo, à quo verum dici nulla certa ratione nobis conſtat, aſſentimur; atque hic aſſenſus homine ſapiente prorſus indignus eſt. *Oculata* eſt qua propoſitioni prolatæ ob eo, quem neque falli, neque Fallere velle certò ſcimus, aſſenſum præbemus. Quo autem evidentiores ſunt hæ rationes, eo firmior eſt Fides.

3. Diſtingui quoque ſolet in fidem *divinam* & *humanam*. Prior eſt, qua Deo aliquid affirmanti, credimus; poſterior, qua hominibus. Ubi æquè nobis conſtat Deum eſſe

esse locutum, ac homines, firmior est fides divina quam humana, quia ut plurimum certiores sunt rationes quæ persuadent Deum neque fallere, neque ipsum falli, quam quæ idem, ut de hominibus credamus, efficiunt. Verùm ubi dubium est, an Deus aliquid dixerit; aut Deum aliquid dixisse credendum, quia ab hominibus aliis refertur, fides credendi rationibus firmior esse nequit. At interdum tam validæ sunt credendi hominibus rationes, ut probe intellectæ evidentiam Mathematicam æquent. Tum temporis fides humana æque inconcussa est ac divina, quia æque necessariò utrobique persuademur.

4. Cùm porrò fides divina propriè dicta immediate feratur in Deum aliquid affirmantem, nemo ejusmodi fidem jactare potest; nisi sit Propheta, quem Deus immediate allocutus fuerit. Hodie quicquid est fidei inter Christianos pendet ex hominum testimonio, quos vera quidem dixisse certissimis rationibus liquet, sed quorum vis pendet ex cognitione Historiæ; nam sancti, quos Deus immediato alloquio dignatus est, viri dudum terris erepti sunt.

5. Hinc videmus cum omnis fidei, tum etiam hujus nostræ, fundamentum unicum esse ratiocinium: quod non fallit, ubi necessarium elicit assensum. Deo crediderunt ii quibus immediatè voluntatem suam patefecit, propter certas rationes, non cæco assensu. Iis hodie credimus, aut potius eorum scriptis; propter rationes, quarum vim non aliter noscimus, quam quemadmodum novimus, quare indubitatis aliis Historiis assentiamur. Verùm hodie plurimi hæc omnia rejicientes, quæ de rationibus credendi diximus, aiunt se firmissime persuasos à Spiritu Sancto, licet planè ignorent rationes credendi. At iis quidem licet sibimetipsis gratulari; sed quoniam sui ἐνθουσιασμῶ nulla afferunt argumenta, de eo dubitare aliis licitum sic oportet.

6. Hinc quoque liquet Propositionem, quam aliquis immediate à Deo se accepisse putat, non posse nisi stulte ab eo admitti, quasi indubitatum fidei objectum, si alicui cognitioni evidenti contraria sit. Nimirum, licet cer-

certiſſimum ſit Deum non poſſe falli, neque fallere; tamen ut is, ad quem directa eſt revelatio, evidentiores rationes habeat ei credendi, quam evidentes veritates amplectendi, fieri nequit.

7. Verùm immediata revelatio, quam à Deo eſſe manifeſtò liquet, poteſt admitti, licèt oppoſita ſit veriſimilibus quibuſdam Propoſitionibus; quia tum rationes, quæ revelationem eam à Deo manare ſuadent, firmiores ſunt iis, quibus Propoſitiones veriſimiles nituntur.

8. Si autem revelationem divinam, ſeu immediatam, contrariam eſſe evidenti veritati per Rationem cognitæ, credere nequeamus; minus certe revelationem mediatam, ſeu hominum miniſterio ad nos delatam, ſi contraria ſit evidenti veritati, admittere poſſumus. Nam licèt indubitatum ſit Deum non eſſe fallacem, attamen pari evidentia ejuſmodi revelationem verè à Deo profectam, qua novimus veritates manifeſtas, ſcire non poſſumus.

9. Præterea Propoſitionum, quæ olim revelatæ dicuntur, æque evidenter cognoſcere ſenſum nequimus, ac perſpicue novimus veritates manifeſtas, quas opera Rationis cognoſcimus. Itaque ſuppoſito aliquam Propoſitionem olim revelatam alicui fuiſſe, propter validas rationes; attamen ſæpe adhuc non levis poteſt ſupereſſe difficultas in ſenſu Propoſitionis inveniendo, nec tam certò nos eum aſſecutos, quam unum & plura differre, exempli cauſa, ſcimus.

10. Hinc ulterius colligimus, quidquid eſt fidei id ſola Ratione niti, cum ſola Ratio nos doceat quis ſit revelationis aliis factæ ſenſus. Unde enim ſcimus Apoſtolos aliquam Propoſitionem à Chriſto accepiſſe, aut Chriſtum ipſum à Deo, eo ſenſu quo nos eam intelligimus, niſi per ratiocinium? Certe priusquam hæc ſciamus, & inconcuſſa fide teneamus, oportet nos Linguis operam ſat diu dediſſe, aut aliis qui eas norunt credere, propter certas rationes, quæ non niſi ratiocinio cognoſcuntur.

11. Hæc eo certiora videbuntur, quo accuratius expendentur, præſertim ſi revelationem ad homines miſ-

ſam

ſam non fuiſſe, ut omnia eos edoceret, ſupponendo nihil ab iis ſciri; aut quod revelatur adeo novum non eſſe, ut nullam connexionem neque ſimilitudinem habeat cum iis quæ jam noverunt, reputemus. Contra revelatio ſuppoſuit nobis plurima eſſe nota, neque enim Syſtema aliquod omni parte perfectum, & cujus ſola lectione, ſine ullo conſequentiarum uſu, voluntatem divinam cognoſcere poſſimus, cœlo demiſſum eſt; quod inter omnes convenit, qui non prorſus inſaniunt. Suppoſuit & res plurimas notas eſſe iis ad quos pertinebat, & certum etiam ſermonis uſum, juxta quem concepta, & ex cujus regulis intelligenda eſt; quod iis quibus ſermo ille non niſi ſtudio innoteſcit, quàm iis quibus vernaculus erat, difficilius eſt.

12. Multa poſſent hanc in rem afferri, quæ neque injucunda, neque inutilia eſſent; ſed quæ pertinent ad alias diſciplinas, Theologiam putà & Criticen. Hic ſatis habemus oſtendere de veritate Propoſitionum, quæ per revelationem innoteſcunt, iiſdem ſubſidiis judicium certum ferri, ac de Propoſitionibus cæteris omnibus, de quibus relatione tantùm certiores ſimus.

CAPUT XI.

De Propoſitione, quæ DIVISIO *dicitur.*

1. UBi de re aut idea aliqua compoſita agendum eſt, partes ejus ſigillatim conſiderandæ; quod ni fiat, dum confunduntur partes aut proprietates diſtinctæ, neceſſariò naſcitur obſcuritas. Vitatur autem per *Diviſionem*, quæ diſtinctas partes rei, circa quam meditatio noſtra verſatur, enumerat.

2. Diviſio definitur: *diſtributio totius in omnia quæ continet.* Apud Philoſophos autem vox *Totum* duplicem ſortita eſt ſignificationem, unde etiam duplex diſtinguitur diviſio.

3. To-

3. Totum eſt, quod conſtat partibus *integrantibus*, quales ſunt ſubſtantiæ quæ componuntur variis partibus, ut corpus humanum quod poteſt in plura membra dividi. Hæc diviſio à Philoſophis propriè *partitio* appellatur.

4. Eſt & aliud *Totum*, aliter Latinè *Omne* vocatum, quod eſt propriè idea quædam abſtracta, quæ pluribus rebus communis eſt, qualia ſunt univerſalia; aut idea compoſita, quæ complectitur ſubſtantiam & accidentia, aut ſaltem plura accidentia. Partes hujus Totius vocantur *ſubjectivæ*, aut *inferiora*.

5. Tripliciter hoc Totum dividitur. Prima diviſio eſt, quando *Genus* dividitur per *ſpecies*, aut *differentias*; ut quando *ſubſtantia* dividitur in *Corpus* & *Spiritum*; in *extenſam* & *cogitantem*. Secunda, ubi res quæpiam in varias claſſes diſtribuitur per accidentia oppoſita, ut quando Stellæ diſtribuuntur in eas quæ lucem ex ſe emittunt, & eas quæ opaco corpore lucem ſolarem reflectunt. Tertia eſt, quando accidentia ipſa dividuntur juxta ſubjecta quibus inſunt; ut quando bona dividuntur in bona animi, corporis, & fortunæ.

6. Tres à Logicis conditæ ſunt bonæ diviſionis Regulæ. Hæc eſt prima: *Membra diviſionis debent exhaurire totum diviſum*. Ita quando numerus omnis dividitur in *Parem* & *Imparem*, recta eſt diviſio; quia nullus prorſus eſt numerus, qui non ſit par aut impar. Sed ſi divideretur in denarium & ſeptenarium, ridicula eſſet diviſio, quia infiniti ſunt numeri, qui ad neutrum referri poſſunt.

7. Secunda hæc eſt Regula: *Diviſionis membra debent eſſe oppoſita*; ut numerus impar pari eſt oppoſitus. Ea autem oppoſitio poteſt fieri, per ſimplicem negationem, ut *corporeum*, *non corporeum*; vel per membra poſitiva, ut *extenſum*, *cogitans*. Atque hæc poſterior diviſio melior habetur altera, quia inde diviſi natura meliùs innoteſcit. Qui enim dicunt Entia omnia eſſe *corporea* aut *incorporea*, non docent quæ ſit incorporeorum natura;

ſed

ſed tantum qua re careant, nempe corporis proprietatibus.

8. Tertia Regula hæc eſt: *Membrum unum diviſionis non debet ita in altero contineri, ut alterum de eo affirmari queat*, licèt alioqui aliquatenus eo includi, ſine diviſionis vitio, poſſit. Ita extenſio Geometrice conſiderata poteſt dividi in *lineam*, *ſuperficiem*, & *ſolidum*; quamvis linea includatur in ſuperficie, ſuperficies in ſolido; quia, nempe, ſuperficies dici non poteſt ſolidum, neque linea ſuperficies. Sed malè divideretur numerus in *parem*, *imparem* & *denarium*, quia denarius eſt par.

9. Cùm diviſio inventa ſit, ordinis & perſpicuitatis cauſa, cavendum eſt ne eam ita concipiamus ut confuſionem & obſcuritatem pariat. Ubi inquiritur natura alicujus rei, *non debet diviſio in nimis magna membra, aut nimis generalia fieri*; etenim ſic res diſtinctæ confunduntur. Ita ſi quis, naturam corporum nobis notorum inquiſiturus, ea diſtingueret in ea quæ ſunt in Terra hac noſtra, & quæ extra ſunt; deinde, ſine ulla alia ſubdiviſione, eorum naturam inveſtigare aggrederetur, ſine dubio confunderetur.

10. *Membra etiam non oportet eſſe, niſi res hoc neceſſarió requirat, nimium inæqualia.* Ejuſmodi eſt diviſio eorum, qui dividunt Univerſum in *Cœlum* & *Terram*, cum Terra, præ eo quod vocatur Cœlum, ſeu immenſis illis ſpatiis, in quibus Stellæ erraticæ & fixæ continentur, ſit minor puncto. Manifeſtum eſt ejuſmodi diviſione, ſeu veritatem ſibi ſoli quærat, ſeu eam repertam aliis exponat, animum turbari.

11. Verùm cavendum etiam, *ne dum æquare partes volumus, vim, ut ita dicam, rerum naturæ inferamus, conjungendo ſeparata, & conjuncta ſeparando.* Ita ridiculè ſe gereret Anatomicus, qui corporis humani deſcriptionem traditurus, aut ejus diſpoſitionem indagaturus corpus in inferiorem, & ſuperiorem partem, quam inferiori prorſus æqualem faceret, divideret; oportet enim ab eo expendi dimidiam partem variorum membrorum corporis, & partem cohærentem differre in aliud tempus; unde fieret

fieret ut totius cordis, exempli causa, aut lienis descriptionem non traderet sed tantùm dimidiorum; qua divisione impediret ne ipse, aut audientes uniuscujusque membri integram structuram distincte intelligerent. Igitur est habenda ratio connexionis, ne quæ arcte connexa sunt violente divellantur, & conjungantur quæ nullam habent inter se connexionem.

12. Dum diligentiam ostentant quidam Scriptores, in partes *adeo minutas quod expendunt dividunt, ut numerus partium conturbet memoriam, & obtundat attentionem.* Hoc quoque vitium est divisionis, quod accurate ratiocinantibus cavendum. Hujusmodi sunt divisiones Disciplinarum, quæ extant apud *Diogenem Laertium* in *Platone*, atque huic Philosopho tribuuntur. Sunt enim adeo multiplices, & tam subtiles, ut vix memoriæ mandari queant. Hanc rationem dividendi in minutissimas partes, juxta varia exigui momenti accidentia, ab eo sumpsit *Aristoteles*, cujus opera etiam divisionibus & subdivisionibus scatent.

13. Cavendum quoque ne in scopulum impingamus, in quem idem *Aristoteles* & Veterum non pauci impegerunt. Nempe, *dum res dividere sibi videbantur, sæpe significationem vocabulorum duntaxat dividebant*; nam res plane diversas, quod eodem nomine insignirentur, sub unam classem referentes, tot esse rerum species, quot erant vocabuli notiones dicebant. Ita ubi agit περὶ τῶν μετὰ τὰς κατηγορίας. §. 5. περὶ τοῦ ἔχειν *de habendi generibus:* τὸ ἔχειν, ait, *dicitur variis modis. Dicimus enim aliquem habere* (ἔχειν) *virtutem; aut quantitatem, qualis est magnitudo quam aliquis habet, ut tria, quatuorve cubita: aut circa corpus, ut vestem; aut in parte, ut in digito annulum; aut instar partis, ut manum, pedem; aut in vasculo, ut testa vinum; aut instar possessionis, ut domum, agrum. Dicitur etiam vir habere uxorem, & uxor virum.* Merito addit: *Forte & alii quidam videbuntur esse habendi modi,* οἱ δὲ εἰωθότες λέγεσθαι, σχεδὸν ἅπαντες κατηρίθμηνται, *sed soliti dici fere omnes enumerati sunt*; nam revera hæc est tantùm observatio sermonis Græci, cum in aliis Linguis isti habendi

di modi non occurrant; neque enim Latinè, exempli cauſa, teſta dicitur *habere vinum*, ut Græce οἶνον ἔχειν λέγεται τὸ κεράμιον, teſte Ariſtotele, Grammatico optimo.

CAPUT XII.

De Propoſitione, quæ DEFINITIO *dicitur; & primùm quidem de Definitione Nominis.*

1. DUplex eſt Definitio, una *rei*, altera *nominis*. Prior quam rei naturam eſſe exiſtimemus: altera quam ſignificationem voci, ſeu nomini cuipiam tribuamus, exponit. De poſteriore hoc in Capite agemus, de priore poſtea dicturi.

2. Quandoquidem nobis ſolis ſemper non cogitamus, ſed ſæpe etiam verbis aut pronunciatis, aut ſcriptis, animi noſtri ſenſa aliis patefacere nos oportet; aut ab aliis, eadem ratione, diſcere quod ignoramus; poſſemus aliis aut alii nobis errandi occaſionem præbere, ambiguitate verborum, niſi quid verba ambigua ſignificent aliis non ambiguis exponeretur. Poſſunt hanc in rem aut nova vocabula fingi, qualia plurima à Veteribus Græcis, & Recentioribus Scholaſticis ficta ſunt; aut jam uſitatis, per novam definitionem, novæ ſignificationes tribui. Ita ſi velim probare *Animos* eſſe immortales, dicam me voce *Animus* intelligere *id quod in hominibus cogitat, quicquid ſit*; ne qui me audiunt loquentem forte putent me, voce *Animus*, ventum intelligere, qui facilè diſſipatur.

3. Definitione nominis definitio uſus, ſeu ſignificationis, quam voces uſu obtinent, notatio hic non ſignificatur. Non quærimus enim quo ſenſu alii utantur voce quapiam; ſed quis futurus ſit, apud nos, ejus uſus, exponimus. Definitio ſignificationis uſitatæ potius ad Criticam, quam ad Logicam pertinet.

4. Igitur hac miſſa, primo definitionem ſignificationis, quam voci cuipiam tribuere conſtituimus, prorſus pen-

pendere ex arbitrio noſtro obſervabimus. Licet enim nobis ſono, qui per ſe nihil ſignificat, prout libet, ideam annectere. Rei verò, ſono aliquo ſignificatæ, definitio non pendet à nobis; nam cùm ejus natura certa & determinata in ſe ſit, nullam in ea mutationem verba noſtra facere poſſunt. Ita mihi *circulum*, in meo ſermone, ſignificare figuram tribus lineis rectis conſtantem, liceret dicere. Sed quandoquidem aliorum ſermo à meo non pendet, non poſſum id quod alii *circulum* vocant, eſſe ejuſmodi, quam dixi, figuram affirmare; aut conſpectum circulum ita definire.

5. Secundò, cùm definitio nominis ſit noſtri arbitrii, non poteſt ab ullo in litem vocari. Neque enim ullus nos cuipiam voci certam ſignificationem dediſſe, quando eam à nobis datam affirmamus, negare poteſt. Si definiiſſem circulum, prout dixi, nemo id in controverſiam trahere poſſet, nec quidquam quod quereretur haberet, ſi modò conſtans ea in definitione eſſem.

6. Tertiò, quandoquidem oppugnari nequit definitio nominis, ſequitur eam poſſe inſtar Axiomatis indubitati adhiberi; quod faciunt Geometræ, qui omnium maximè ejuſmodi definitionibus utuntur. Verùm ne putemus propterea aliquid de idea, quæ affixa eſt definito nomini, affirmari, quod in dubium revocari nequeat, cavendum. Principium eſt indubitatum aliquem ita definiiſſe vocem quampiam; ſed non eſt principium indubitatum id quod de re cogitat, quam vocabulo illo afficit. Ita ſi quis definierit *calorem, id quod eſt in corporibus quæ nos calefaciunt, & ſimile eſt calori quem ſentimus*; nemo quidem poterit eam definitionem oppugnare, quatenus exprimit quod voce *calor* intelligit; ſed nihil obſtat quominus negemus eſſe aliquid, in corporibus calefacientibus, ei ſimile quod nos in nobis ſentimus.

7. Scholaſtici duobus præcipue modis, contra haſce obſervationes, peccant. Primò, res ipſas definiunt, prout libet, dein nolunt ſuas definitiones oppugnari; cum hoc tantùm juris habeant definitiones nominis. Satis malè hominem definiunt *Animal ratione præditum*, quam tamen

definitionem ſi quis admittere nolit, quaſi prima principia negaret, indignantur. Ejuſmodi definitione, ſi non accuratior, certe candidior eſt, qua Veterum quiſpiam jocans utebatur: *Homo eſt quod omnes novimus.* Secundo, rarò definitionibus nominum utuntur, unde ſumma obſcuritas in eorum ſermonibus naſcitur, & innumeræ λογομαχίαι, dum eadem dicentes aliis verbis ſe invicem non intelligunt. Hinc olim controverſiæ *Eutychianæ* & *Neſtorianæ*, de Perſona & Naturis Chriſti, natæ. Nam dum Eutyches *Naturam* vocat quod alii *Perſonam*, & Neſtorius contra *Perſonas* quod alii *Naturas*, excitatæ ſunt diviſiones ingentes in Oriente, inter eos qui revera quantum ex eorum Scriptis conjicere licet, idem ſentiebant.

8. Ex iis quæ diximus, liquet Definitionis Nominum, in ſermone Philoſophico, uſum eſſe ingentem. Attamen inde omnia vocabula debere aut poſſe definiri colligi nequit. Sunt enim quædam, quæ & clara ſunt (Linguam, nempe, qua utimur intelligentibus) & ejuſmodi ut definiri nequeant. Ea ſunt nomina idearum ſimplicium, ut *cogitare*, *eſſe*, *ſentire*, &c. qua de re egimus ſupra Cap. II. §. 11. P. 1.

9. Præterea, ubi jam ſunt receptæ definitiones ſatis perſpicuæ, non ſunt mutandæ; quia qui ſunt recepto jam uſui aſſuefacti melius nos intelligunt, & ipſi etiam non ſumus in tanto inconſtantiæ, in definitione non ſervanda, periculo. Manifeſtum eſt melius intelligi vocabula, quibus dudum aſſueti ſumus quaſdam affingere ideas, quam ea quibus novæ ſunt alligandæ. Ipſi quoque melius recordamur ſenſus unius, quam duorum. Ita olim in controverſia de Arbitrii libertate, *Auguſtinus*, propter mutatam definitionem vocis *libertas*, obſcurus evaſit multis, nec ſibi ſatis conſtitit. Antea libertas vocabatur, ut nunc vulgò, *facultas faciendi aut non faciendi.* Ipſe vero *ſpontaneitatem* ſimplicem, in qua non eſt coactio ulla, intellexit. Attamen quia uſum receptum, ex animo ſuo, ipſe prorſus eliminare non potuit, ſæpe ut alii, ſæpe peculiari ſenſu loquitur.

10. Hinc

10. Hinc ſequitur etiam, ſi neceſſe ſit ab uſu recepto abire, quam minimum fieri poteſt ab eo recedendum. Facilius enim aſſueſcimus ſignificationibus vicinis iis quæ jam admiſſæ ſunt, quam plane remotis, aut etiam uſui prorſus contrariis. Hinc vituperantur merito Chymiſtæ, qui cum è vulgo petitis vocabulis uti poſſent, ea cane pejus & angue refugerunt, ut inuſitata vocabula in Artem inferrent. Nec ſæpe alia de cauſa obſcurum ſermonem claro prætulerunt, niſi ut fucum credulis & imperitis, qui facile ſub obſcuris verbis res pulcherrimas latere ſuſpicantur, facerent.

11. Verùm ante omnia, quod jam ſubinnuimus, obſervandum; nempe, ab definitione ſemel conſtituta, nunquam recedere oportere. Qui enim Auditor aut Lector ſcire nos abire à definitione ſemel allata, niſi moneatur, poteſt? Dum autem hoc ignorat, qui nobis velimus, cum videt à nobis aliquid affirmari quod definitioni allatæ contrarium eſt, aut i eſcit, aut nos in contradictionem incautos delabi putat. Si adhibeamus autem vocabula, quorum ſignificatio ſæpe mutetur, moleſtum eſt, quotieſcunque occurrunt, definitionem proferre. Itaque nihil rectius aut commodius, quam ſi conſtanter in una definitione hæreamus, fieri poteſt.

Caput XIII.

De Definitione Rei.

1. Cum Definitio nominis à nobis pendeat, Definitio rei non eſt juris noſtri; neque enim nobis id eſſe in re aliqua, ſeu in ejus quæ nobis obverſatur idea, quod in ea non eſt affirmare licet. Solet autem Definitio diſtingui in accuratam & minus accuratam. Prior *Definitio* proprie dicitur, poſterior *Deſcriptio*.

2. *Definitio* proprie dicta eſt, quæ naturam rei definitæ, enumeratione præcipuorum attributorum exponit; quo-

quorum quæ rei definitæ communia ſunt cum aliis *Genus*: quæ verò pertinent tantùm ad rem definitam *Differentia* dicuntur. Ita Circulus definiri poteſt: *Figura cujus circumferentia undequaque æqualiter diſtat à centro. Figura* erit Genus, eſt enim attributum commune Circulo cum omnibus figuris ſpecie differentibus; reliqua verò erunt Differentia, iis enim Circulus ab omni alia figura differt.

3. *Deſcriptio* verò eſt enumeratio plurium attributorum, etiam quæ accidentalia ſunt; ut ſi deſcribatur aliquis, ex quibuſdam quæ geſſit aut dixit, velut ſi pro Ariſtotele *Philoſophum, qui regnum ſolus inter Scholaſticos obtinuit*, dicamus.

4. A Philoſophis nihil eſſe definitum præter *ſpecies*, nulla vero *individua*, ut jam alibi notavimus, animadvertendum eſt; quod ſibi *genus proximum* & *differentiam ſpecificam* ſpecierum eſſe notas putent, ſed non audeant individuorum proprietates eſſentiales, quibus ab ejuſdem ſpeciei aliis differant, ſibi compertas jactare.

5. Revocandum etiam eſt in memoriam, quod in ſuperiore Parte, nempe, Subſtantiarum intimam naturam eſſe ignotam, adeoque non poſſe definiri, oſtendimus. Verùm eas definierunt Philoſophi ex iis quæ norant, quibus totam ſubſtantiarum eſſentiam fruſtra contineri exiſtimarunt. Hinc liquet etiam, juxta ea quæ alibi à nobis obſervata ſunt, ſolos Modos, quorum tota natura nobis nota eſt, poſſe certa, & propriè dicta definitione exponi.

6. Tres Regulæ Definitionis vulgò afferuntur. Prima eſt, *Definitionem oportere eſſe adæquatam definito*; hoc eſt, competere omnibus iis, quæ ſpecie, quæ definitur, continentur. Itaque à Peripateticis tempus malè definitur: *Menſura motûs, per partes priores & poſteriores*, quia tempus poteſt etiam menſurare quietem; res enim quieſcens, per certum tempus quieviſſe, non minus quam ſi mota eſſet, dicitur.

7. Secundò, *Definitionem oportet propriam eſſe definito*, hoc eſt, nulli alii ſpeciei, præter eam quæ definitur, convenire.

venire. Cùm enim definitio adhibeatur, quò rem aliquam ita cognoſcamus ut à cæteris omnibus diſtingui poſſit, ſoli rei definitæ competere oportet definitionem. Malè ergo definitur Materia Prima à Scholaſticis: *Quod neque eſt quid, neque quale, neque quantum, neque quicquam eorum quibus Ens denominatur.* Hac enim Definitione, Materia Prima vix à mero Nihilo ſecernitur. Idem de omnibus definitionibus merè negativis, quæ docent non quid res ſit, ſed quid non ſit, dicendum.

8. Tertiò, quoniam Definitio adhibetur ut aliis nota fiat res antea ignota; *Definitionem eſſe claram, & facilioremintellectu re definita oportet.* Atque hinc colligere eſt pleraſque Ariſtotelis definitiones, quoniam ſunt obſcuriſſimæ, eſſe parum commodas. Exempli gratia, quis non meliùs intelligat quid ſit motus, ſine definitione, quam hac definitione audita: *Actus entis in potentia, quatenus in potentia?* Quis non æquè bene ſciat quid ſit Anima, ſi vel minimum attendat, ac ſi Philoſophum dicentem: *Actus primus corporis naturalis organici, potentia vitam habentis*, audiat?

9. Hic iterum non erit ſupervacaneum ne definitionem uſus recepti, circa aliquam vocem, cum definitione rei confundamus cavendum, monuiſſe. Plurimi enim, imò omnes qui non ſatis attendunt ad res ipſas, ſibi ſatisfieri definitione uſus, ubi quærunt quid res ſit, patiuntur. Ita quærenti quid ſit *tonitru?* reſpondetur eſſe *ſonitum in nubibus excitatum*; quæ reſponſio oſtendit quidem in genere quænam res eo nomine afficiatur, ſed nequaquam quid ſit tonitru; niſi is qui reſponſum accipit aliunde quid ſit *ſonitus*, ſeu quæ ſit natura ejus rei quæ ſonitus vocatur & unde naſcatur, norit. Quandoque etiam rei naturam notam nobis eſſe opinamur, ſi rem quam vocabulo quodam appellari audimus, oculis uſurpaverimus. Ita quærenti *quid ſit vitrum*, oſtenditur id quod ita vocatur, & ſibi rem notam eſſe cenſet, quia pauculas proprietates ejus, & quo nomine veniat, novit.

10. Eadem de ratione, Definitio rei verbis planè ſynonymis conſtare nequit; ut, ſi quis quærat quid ſit *ſummum Numen?*

Numen? & reſpondeatur *ſupremus Deus.* Hiſce enim poſterioribus verbis, forte quidem priora exponuntur eorum uſitatam ſignificationem ignoranti; ſed divinam naturam inde melius cognoſci nemo dixerit.

11. Hiſce obſervatis, definitionem tantùm locum habere in ideis compoſitis, & eſſe duntaxat enumerationem præcipuarum idearum ſimplicium, quibus conſtant, ſatis liquet. Ideæ verò ſimplices nequeunt definiri, ut alibi obſervavimus, quia enumeratio nulla ejuſmodi fieri poteſt. Quid neſcit quid ſit quod vocamus *calorem*, hoc aliter non diſcit, niſi experientia, aut ſynonymo aliquo ejuſdem, aut alius Linguæ vocabulo, vel circumlocutione qua res indicatur, non definitur; ut ſi diceremus *eſſe ſenſationem quam experimur ubi igni aſſidemus, aut ſole lucente ambulamus*, &c. Indicaremus quæ res ſit, cui id nomen tribuimus, at ejus naturam non exponeremus. Si quis enim eo ſenſu careret, qui neceſſarius eſt ad calorem percipiendum, non magis intelligeret quid diceremus; quam cæcus natus quis ſit color viridis, ubi ei dicimus eum eſſe quem percipimus, cum gramen nobis obverſatur, intelligit.

Secundæ Partis Logicæ Finis.

LOGI-

LOGICÆ
PARS TERTIA.
De Methodo.

CAPUT I.

De Methodo, eaque Analytica & Synthetica.

1. POſtquam Perceptiones noſtras ſimplices, itemque varia Judiciorum noſtrorum genera contemplati ſumus, & docuimus qua ratione circa iſta, ut vitetur error, verſari neceſſe ſit; ſupereſt qua ratione judicia noſtra debeant diſponi, ut tutius ac citius ad veritatis cognitionem perveniatur, oſtendamus. Atque hæc Logices Pars *Methodus* à Dialecticis dici ſolet; & paucis tractatur, præ ea parte in qua de *Syllogiſmo* agitur, quod haud paulo plus in animo ad diſputationem, quam ad veritatis indagationem, muniendo laborent. Nos contra Methodum diligentius, quod nobis multo magis cordi ſit veritatis inquiſitio, quam diſputandi libido, quæ veritatis cognitioni ferè obeſt, excutiemus.

2. Cum pleræque veritates inquirendæ nitantur aliarum cognitione, ex quibus per quandam conſequentiarum ſeriem deducuntur; non ſatis eſt tradidiſſe Regulas, quarum ope cognoſcere queamus quibus Propoſitionibus aſſentiri nos oporteat ſigillatim conſideratis. Oſtendendum etiam eſt qua ratione inter ſe diſponendæ ſint, ut

per eas, quasi per gradus, ad veritatem, in puteo, ut fert dictum vetus, latentem descendamus.

3. Duplex autem est Methodus; una est *Analyseos*, seu *resolutionis*, qua ut plurimum veritas investigatur: altera est *Syntheseos*, seu *compositionis*, qua veritas inventa docetur.

4. In Analytica methodo, ex veritate aliqua particulari nota, ad alias quæ pertinent ad rem aliquam singularem progredimur. In Synthetica verò methodo, generales quasdam veritates proponimus, ex quibus veritates singulares deducimus.

5. Si in Analytica methodo quæpiam Axiomata proponantur, id non fit statim initio, & simul ac semel; sed prout necesse est iis, ad veritatis investigationem, uti. Contrà in Synthetica omnia simul initio, priusquàm iis opus sit, proponuntur.

6. Hæ methodi inter se eodem modo differunt, ac differrent rationes inquirendæ Genealogiæ descendendo à majoribus ad posteros; aut contrà, à posteris ad majores ascendendo. Ita posset quæri genus Alexandri, nominato ejus Patre Philippo, & ab eo retrogrediendo ad *Caranum* usque *Herculis* filium; quæ ratio investigandi cum Analysi convenit. Atque eo modo esset procedendum, si Alexandri majores ignoti quærendi essent. At si jam inventa Genealogia tradenda esset, tum ab Hercule & Carano initium fieri deberet; quâ ratione procedit Synthetica Methodus.

7. Verùm utráque ex re nota ad ignotam progressionem communem habet. Quæ nota sunt priora utrobique proponuntur, ut ex iis per consequentias ad ignota perveniri queat; deinde omnis hæc series consequentiarum, in utraque, Propositionibus inter se connexis constat.

8. In utraque hæc quoque, ut vitetur error, summatim requiruntur. Primò nulla Propositio, quasi vera, cui assensum negare possimus, seu quæ non sit evidens, admittenda est. Deinde in unoquoque progressionis gradu, nexus Propositionis sequentis cum antecedente debet esse etiam evidens, seu necessarius. Alioqui si in longa Propo-

posi-

poſitionum ſerie, Propoſitionem, aut conſequentiam dubiam aut falſam admitteremus vel unam, quicquid inde directè deduceretur neceſſariò dubium eſſet, aut falſum.

9. Ut exemplo res clarior fiat, prius exemplum Analyticæ Methodi, deinde etiam Syntheticæ tradam. Proponi fingamus hanc quæſtionem: *an ſuppoſitâ hominis exiſtentiâ, probari queat Deum exiſtere?* Hoc ut ſcire poſſimus, ita procedimus. 1. Humanum genus, quod nunc eſt in terra, non ſemper extitit, quod hiſtoriæ omnes oſtendunt, quæ humano generi initium fuiſſe produnt. Non tantum enim hoc diſertè teſtantur, ſed etiam eorum quæ narrant ſerie ſignificant; nulla enim eſt quæ res geſtas plurium quam ſex mille annorum, aut circiter, comprehendat. 2. Si humanum genus non ſemper extitit, ſeu initium habuit, oportet aliquam ei exiſtendi fuiſſe cauſam; nam è nihilo nihil emergit. 3. Quæcunq; ſit ea cauſa, oportet in ea ſaltem fuiſſe proprietates, quas in nobis videmus; nam nemo dat quod non habet. 4. Præterea oportet in ea cauſa eſſe proprietates quæ in nobis non ſunt, cum potuerit facere, id quod nos non poſſumus; nempe, ut homo, qualis antea non exiſtebat, exiſterer, ſeu ut Mens & Corpus ejus inciperent eſſe; quam potentiam in nobis non deprehendimus. 5. Videmus autem in nobis eſſe vim intelligendi, & volendi, & corpus quod variè moveri poteſt. 6. Igitur oportet eſſe eas facultates in cauſa humani generis, & alias etiam præſtantiores; qualis eſt vis producendi è nihilo, ſeu faciendi ut aliquid, quod antea non exiſtebat, exiſtat. 6. Hæc autem cauſa vel exiſtit adhuc, vel non exiſtit. 7. Si non exiſtat etiamnum, non extitit ab æterno; quod enim ab æterno extitit, neque à ſe, neque ab alio in nihilum redigi poteſt. 8. Si non exiſteret, oporteret ab alia productum eſſe, quicquid enim habet initium ab alio procreatum eſt. Tum rediret eadem quæſtio de producente, quæ poſſet ſic generatim ſolvi. Omnibus quæ exiſtunt aut initium fuit, aut non fuit. Quibus fuit ea habent cauſas, quæ nullum initium habuerunt; itaque ſi exiſtit aliquid, ſunt cauſæ æternæ.

9. Igitur eſſet fatendum exiſtere Ens aliquod æternum quod habeat omnes proprietates quas habemus, & plures etiam; ſeu ipſum nos immediate, ſeu per aliam Naturam creaverit, quod alia eſt quæſtio, quam hîc non attingimus. 10. Si exiſtat adhuc humani generis cauſa, idem rediret ratiocinium quod continetur gradu progreſſionis 8, & 9. 11. Igitur ex eo quod exiſtit humanum genus, neceſſariò ſequitur exiſtere *Deum*, ſeu *Cauſam* aliquam æternam, quæ aut mediatè aut immediatè id creaverit.

10. Ita Analyticâ Methodo exiſtentiam Dei probamus, vel potius invenimus. Veritatem inventam deinde Methodo Syntheticâ docere poſſumus, hac ratione: 1. Omnia Entia initium habent exiſtendi, aut nullum. 2. Nihil eſt quod è nihilo emergere, aut incipere exiſtere, cum antea non exiſteret, per ſe queat. 3. Itaque quæ initium habent procreata ſunt omnia, ab aliqua initio carente cauſa. 4. Humanum genus habet initium. 5. Igitur productum eſt aut mediatè, aut immediatè ab aliqua cauſa æterna. 6. Cauſam illam vocamus *Deum*, ideóque *humanum genus à Deo procreatum eſt*.

11. Omnes hæ Propoſitiones, ut jam diximus, debent in utraque Methodo diligenter expendi, ut nulla pro comperta admittatur, quæ non ſit; neque ulla irrepat conſequentia, non neceſſaria; quo peracto, veritatem à nobis inventam, aut eandem doceri ſcire poſſumus.

12. Quædam ſubſidia poſſunt ad id faciliùs præſtandum adhiberi, quæ ſunt penſiculatius docenda, quia inde tota ratiociniorum facilitas & certitudo pendet. Primùm, quî debeat eſſe, ad feliciter inveniendam veritatem, animus affectus: ſecundo loco, regulas Analyticæ Methodi: tertio, quæ ad Syntheticam pertinent trademus.

CA-

CAPUT II.

De Attentionis neceſſitate, & ſubſidiis quibus comparari poteſt.

1. EST quidem evidentia, ut plus ſemel diximus, unicum veritatis κειτήριον. Verùm non ſatis eſt hoc noviſſe, ad inveſtigationem veritatis; quia evidentia illa ſemper præſto non eſt, nec animo noſtro, niſi poſt longum laborem, interdum obverſatur. Quærendum itaque quâ ratione evidentiam, in cognitionibus noſtris, nanciſci poſſimus.

2. Quemadmodum non ſatis eſt eſſe objecta extra nos, eáque luce illuſtrata, ſed præterea oculi ſunt ad ea convertendi ut ea cernamus: ita non ſatis eſt omnium rerum, quæ animo concipi queunt, poſſe efformari ideas, ut eas res noſcamus; aciem, ut ita dicam animi, ad illas ideas converti, & hunc attentum in earum contemplatione eſſe, ſi eas probè noſſe cupiamus, neceſſe eſt.

3. In prima & ſecunda Parte, Judicia noſtra nihil eſſe, præter perceptiones quarumdam relationum, quibus Mens acquieſcit; erroresq; noſtros inde oriri quod acquieſcat obſcurè perceptis, quaſi eſſent clara, priusquam rem ſatis expenderit, oſtendimus. Ut enim cum oculis leviter aliquid luſtravimus, aut è longinquo, aut in obſcuro loco vidimus, ſæpe id credimus nos conſpexiſſe quod non vidimus: ita quando Mens, poſt levem alicujus rei conſiderationem obſervationibus ſuis acquieſcit, ſæpe id à ſe animadverſum, quod nequaquam ei eſt obverſatum, cenſet.

4. Ut caveamus errorem, qui ex oculorum uſu naſcitur, levi conſiderationi non credimus; cum objectum obſcurum, aut remotum eſt, facem adhibemus, propius accedimus, denique diu & diligenter conſideramus. Nulla quoque alia eſt certior ratio vitandi erroris, in Mentis

judiciis, quam ſi judicia cohibeamus, donec diu & attentè, pro rei natura, id quod inveſtigatur contemplati fuerimus. Hinc quam ſit neceſſaria *Attentio*, quæ nihil aliud eſt præter diuturnam, neque intermiſſam, aut aliis cogitationibus interpellatam ideæ cujuſpiam conſiderationem, ſatis conſtat.

5. Itaque is operam non malè collocabit, qui artem augendæ Attentionis quæſiverit. Videmus autem nos attentiores multò eſſe, & facilius etiam ad eas res quæ interventu ſenſuum nos afficiunt, quarum imagines quædam figuratæ animo obverſantur, & quæ affectum aliquem in nobis excitant; quam quæ nihil horum habentes Menti noſtræ ſeſe ingerunt. Ita in ſpectando aliquo corpore luce illuſtrato; in imagine aliqua rei corporeæ Menti oblata luſtranda; in conſideranda denique re unde ad nos commoda redire, aut incommoda queunt, quæ metum aut deſiderium in nobis excitant, attenti ſumus. Hoc adeò manifeſtum eſt, ut probatione non indigeat.

6. Non minus certum experientiâ eſt nos difficilius animi aciem ad abſtractas ideas, exempli cauſa, convertere & diu defixam tenere. Hoc quicunque de hiſce cogitare conati ſunt, præſertim priusquam aſſuefierent meditationi, experti ſunt. Diſcrimen inde naſcitur, quod in aliis Mens, interveniente corpore, adjuvetur, & vividis ſenſationibus aut imaginibus afficiatur, quas vel invita animadvertit: contra verò contemplationibus abſtractis, & nihil è corporibus ducentibus, corporei motus officiant, dum ad corpora Mentem revocant; nec quicquam Menti obverſetur, quod eam valde afficiat, atque attentionem ejus alliciat. Imò dum ea conſideratione Mens occupatur, oportet eam omnes corporeas imagines, ſponte ſeſe ipſi oggerentes, ſumma vi amoliri; quod ſine dolore fieri nequit, quia hæc Lex eſt naturæ, ut, cùm vis infertur corpori, Mens doleat.

7. Hoc poſito, videndum annon ope ſenſuum, facultatis imaginandi, aut affectuum augere Attentionem, etiam in rebus merè incorporeis, poſſimus. Atque hoc ea arte fieri poteſt, quam poſtea indicabimus; verum eſt

ante

ante omnia cavendum, ne inde naſcatur incommodum, quod ſequi animi per ſenſus, imaginationem, aut affectus commotiones ut plurimùm ſolet. Nempe, ubi animus paulò vehementiùs eſt affectus, adeo ad id objectum quo afficitur convertitur, ut nihil aliud animadvertat. Tum temporis tantum abeſt, ut is motus Attentionem ad ideas rerum incorporearum adjuvet, ut contra eam impediat.

8. Hinc deducitur hæc, in veritatis inquiſitione, maximi momenti conſequentia; nempe, iis qui volunt ſeriò veritatis inveſtigationi incumbere vitandas eſſe, quantum poteſt, omnes ſenſationes vehementiores, quales ſunt ingens ſtrepitus, lumen vividius, dolor, voluptas, *&c.* Cavere etiam debent, ne vehementius ipſorum commoveatur imaginatio aliquo objecto, quod eam ita inficiat, ut inviti de eo cogitent; hoc enim fit ut Attentio ſubinde interpelletur. Imprimis motibus affectuum validioribus non debent aſſuefieri; qui enim ſæpe iis perturbantur ita afficiuntur, ut vix de ulla re, niſi de affectûs objecto, aut de iis quæ aliquem cum eo nexum habent, cogitare poſſint. Attamen quia horum nemo poteſt eſſe immunis prorſus, propter rationes, quas hîc non attingimus; conandum eſt ex hiſce inevitabilibus incommodis, qualecunque ad veritatis indagationem ſubſidium petere.

9. Senſus prodeſſe poſſunt Attentioni, ſi iis utamur ut Geometræ, qui inconſpicuas quantitates lineis, numeris & literis exprimunt. Hac enim ratione fit, ut faciliùs animus in ea quæ quærit attentus ac defixus hæreat; dum enim oculi in figuras defixi ſunt, animus rem cujus ſunt ſigna contemplatur. Atque hoc fit eò meliùs, quod nullum ſit periculum ne figuras cum re quam quærit, confundat, cum nulla ſit inter eas relatio, niſi quam ipſe inſtituit. Ita celeritas & duratio motus alicujus poſſint deſcriptione aliquot figurarum, quas nunquam credet id eſſe quod quærit Geometres, inquiri.

10. Poſſumus & hac ratione, ſine periculo, ſenſibus noſtris uti in ratiocinio. Nempe, ne multitudine relationum conſiderandarum obruamur, poſſunt ordine in char-

ta vocibus aliquot exprimi. Præterea facilius ad Propositiones jam expressas & chartæ commissas, quam ad earum ideas attendimus. Sæpius & facilius, in longis ratiociniis, vestigia nostra, ubi eorum in charta notæ hærent, quam ubi memoriæ tantùm infixæ sunt, relegere possumus.

11. Pueri propterea multa facilius discunt per imagines, & figuras, quam si ea millies dici audiant, aut ad cogitandum iis de rebus excitentur. Si videant quasdam Virtutum Emblematicas imagines, multo facilius intelligunt, attendunt, & dicta memoriâ tenent; quam si simpliciter per vocabula, quæ sunt abstractarum idearum signa, quibus ideis non sunt assueti, edoceantur. Attamen ista debent spectari quasi adminicula quædam, quæ initio quidem adhiberi possunt, sed adultioribus non sunt efferenda, ne nimium iis assuescant, nec quicquam possint, nisi interventu imaginis corporeæ, intelligere.

12. Facultas, quâ fit ut imagines rerum corporearum Menti objiciantur, arctissimè est cum sensibus conjuncta; ideóque & ad hanc quæ de sensibus dicta sunt pertinent. Attamen peculiare etiam subsidium, ad juvandum Attentionem, confert. Unicuique experientiâ notum est, res incorporeas melius intelligi ope comparationis è corporibus petitæ, quorum imagines Menti obversantur Imaginationis operâ. Ita ubi quæro quâ ratione Mens mea objectas ideas videat, & quo modo aut ab errore caveat, aut in errorem incidat; & inveni, acri meditatione, ideas esse nescio quæ objecta quæ extra Mentem sunt (exceptis sensationibus) & Menti, postquam diu aliquam ideam contemplata est, perceptionem distinctam & claram ejus fieri, aut obscuram remanere; cùm autem obscura est, Mentem posse judicium cohibere, contrà verò cùm clara est, in ea necessariò acquiescere; ubi, inquam, hoc inveni, idem comparatione aliquâ, ex re corporea desumptâ, exprimere conducit. Memoriæ melius sic mandatur, faciliusque & clarius Menti se res inventa objicit. Exempli causa, mecum tacitâ meditatione conferre ideas cum objectis externis & corporeis, Mentem cum oculo, & simi-

lia

ſimul probaretur res ipſa, ut conceſſis initiis, cætera etiam eſſent concedenda, quærendus fuit.

2. Nulla inventa commodior ratio, niſi ut generalia principia primùm proponerentur, & ſi neceſſe eſſet, probarentur; deinde eorum conſequentiæ ita diſponerentur, ut quantùm licet, poſteriores ex prioribus manarent. Præterquàm quod hac ratione & ordo & vis demonſtrationis obtinetur, vitatur incommodum in tradendis Diſciplinis non exiguum, repetendi neceſſitas. Si enim à particularibus ſeu ſpeciebus initium fieret, ut ad genera poſtea deveniretur; eſſet, ubi de unaquaque ſpecie dicendum foret, repetendum quod de ejus genere innotuit; quoniam, ſine generis cognitione, ſpecies ſatis nota non eſt.

3. Verùm hîc obſervandum hunc ordinem poſſe tantùm in iis rebus, quarum principia accuratè novimus, qualis eſt, exempli gratiâ, Geometria, quæ tota ſita eſt in conſideratione modorum abſtractorum, quorum & perſpicuæ & adæquatæ ideæ animo noſtro obverſantur, ſervari. At ubi agitur de ſubſtantiis, ut in Phyſica, Syntheſis, quia genera ſubſtantiarum nobis ſunt ignota, nec intimas earum eſſentias aſſequimur, adhiberi nequit. Itaque quicunque Syſtemata Phyſica aggredi voluerunt, ii ſe difficultatibus ineluctabilibus impediverunt, quod facilè, quorumvis principiorum Phyſicorum examine, ſi res eſſet hujus loci, oſtenderemus.

4. In ſolis Mathematicis diſciplinis, quarum principia ἀποδείξεως nota ſunt, hæc Synthetica Methodus hactenus obſervata eſt accuratè, ideoque à nullis meliùs ejus Leges petantur, quam à Geometris.

5. Cùm nihil proponere cui poſſit contradici animus iis eſſet, hoc ſe maximè triplici viâ aſſequuturos exiſtimarunt; I. Si nihil proferrent, quod non conſtaret vocabulis quorum ſignificatio eſſet perfectè nota; quam ob rem *definierunt* diligenter vocabula, quibus utuntur: qua de re egimus P. II. Cap. 12. II. Si niterentur tantùm *principiis evidentibus & perſpicuis*, adeo ut à nemine poſſent in dubium revocari, qui ea modò intelligeret. Itaque ante

omnia, ponunt *Axiomata* ſua, quæ ſibi concedi poſtulant, probatione quippe non indigentia. III. Si omnes conſequentias *demonſtrativè probarent*, proptereáque in ratiociniis ſuis duntaxat Definitionibus, Axiomatibuſque conceſſis, aut Propoſitionibus jam à ſe demonſtratis, quæ ad poſteriora quod attinet ſint principiorum loco, uterentur.

6. Ad hæc tria capita referri poteſt quicquid à Geometris obſervatur, in demonſtratione veritatum, quas retexerunt. Sed ut meliùs intelligantur, duæ ſtatuuntur Definitionum, una Axiomatum, duæ Demonſtrationum Leges, de quibus ſigillatim agemus, poſtquàm eas propoſuerimus.

7. Definitionum Leges ſunt hæ. I. *Nullum vocabulum ſubobſcurum, aut ambiguum ſine definitione adhibere.* II. *In definitionibus nullis vocabulis, niſi notiſſimæ ſignificationis, aut jam expoſitis, uti.*

8. Axiomatum Lex eſt : *nihil Axiomatis inſtar, quod non ſit evidentiſſimum, ſtatuere.*

9. Demonſtrationibus hæ Leges poſitæ ſunt : I. *Omnes Propoſitiones ſubobſcuras probare, nec quicquam in iis demonſtrandis adhibere, præter Definitiones conſtitutas, Axiomata conceſſa, Propoſitiones jam demonſtratas, aut Conſtructionem figuræ, de qua agitur, ubi quid ſimile faciendum contingit.* II. *Nunquam abuti ambiguitate vocabulorum, iis non affingendo definitiones quibus exponuntur.*

10. Hæc Geometræ neceſſaria obſervatu duxerunt, ut veritates quas probare inſtituunt evidentes, ἀναντιῤῥήτους redderent. Ac ſanè quicunque his Legibus ſteterit, ita ut in eas ne minimùm quidem peccet, is ſe in falſum nullum ratiocinium delapſurum, quod præcipuè in omnibus Diſciplinis ſpectatur, ſperare ſine temeritate poterit. Neque enim tam bene agitur cum humana natura, ut non dicam omnia, ſed multa, præ ignotarum rerum numero, noſſe ei liceat; ſatis eſt modò in iis ſaltem, quæ nobis nota eſſe putamus, non erremus. Pauca noſſe miſerum, ſed miſerius ne ea quidem pauca ita noſſe, ut te non errare certò ſcias. Itaque in hoc, omnibus ingenii viribus, connitendum.

CA-

CAPUT X.

Exponuntur Leges Definitionum.

1. EGimus quidem ſupra P. II. C. xii. de *Nominum Definitione*, attamen quia res eſt non exigui momenti, & ſine qua Geometrarum Methodus intelligi nequit, quædam eadem de re, vitatis quantùm poterimus repetitionibus, addemus.

2. Prima Regula vetat *ullum vocabulum ſubobſcurum ſine definitione adhibere.* Hujus regulæ neceſſitas hiſce nititur fundamentis. I. *Ut aliquid evidenter probetur, neceſſe eſt id quod dicitur perfectè intelligi*; quî enim evidens eſſe poteſt demonſtratio, quæ non plenè intelligitur? Non poſſunt autem perfectè intelligi plurima vocabula, niſi definiantur, cùm uſus Linguæ, ex qua petita ſunt, iis aut nullum aut obſcurum ſenſum attribuerit, ut in *Critica* oſtendimus. Cùm ejuſmodi adhibentur vocabula in Diſciplinis tradendis, potiſſimùm in Principiis, neque Principia ipſa intelliguntur, neque conſequentiæ, neque ordo ratiocinii, ſeu Propoſitionum nexus; unde fit ut veráne ſint quæ dicuntur nécne, cognoſcere nequeamus.

3. Ne porrò obſervatio hæc credatur inutilis, quaſi nemo in eam peccet, in animum revocandum eſt omnes ferè Philoſophos graviſſimè hoc in negotio peccaſſe. Innumera vocabula indefinita, petita ſeu ex uſu vulgari, ſeu ex Philoſophorum aliorum ſermone, ſeu à ſe inventa, obſcuriſſima, aut ambigua in Philoſophiam intulerunt. Theologi Philoſophos ſequuti immaniter quoque hac in re peccarunt. Priores *qualitatum naturalium* & *occultarum*, ut vocantur, nomina ex uſu vulgi acceperunt indefinita, eáque obſcuriſſima, qualia ſunt *gravitas*, *levitas*, *color*, *odor*, *ſapor*, *frigus*, *calor*, &c. Quando ab iis quæritur quid ſit *color*, quaſi ridiculam quæſtionem irrident, cùm revera non ſatis diſtinguant id quod ſentimus, ab eo quod

eſt

eſt in ſuperficie objecti, ut ex eorum ſermonibus apparet. Accuratiores Philoſophi utuntur voce *perfectio* non definitâ, quæ intelligi nequit ſine definitione. Theologi ut de Deo loquuntur, aiunt Deum habere proprietates ἀκαταλήπτους, quibus imponunt nomina aliunde ſumpta, licèt fateantur nihil eſſe in rebus creatis ſimile; nec tamen definiunt ea nomina, niſi definitionibus obſcuriſſimis, quod non eſt propriè definire, ut poſtea videbimus. Vox *Perſona*, quæ in divinis definiri nequit, aut vox ὑπόστασις, quæ tamen tantos excitarunt diſputationum fluctus, ejusmodi ſunt.

4. II. Definitiones vocabulorum faciunt etiam ut ipſi, in tribuenda eidem vocabulo eadem ſignificatione, conſtantiores ſimus. Dum enim ipſi ſatis diſtinctè non novimus quid voce aliquâ ſignificetur, eamque ſine definitione adhibemus, facilè fit ut ab ea ſignificatione, quam primò ei attribueramus, imprudentes recedamus; ſi præſertim ratiocinia prolixiora ſunt, & de variorum generum rebus ſermo eſt. Quando autem hoc evenit ne ipſi quidem ſatis quid velimus, & quæ ſit ratiociniorum noſtrorum ſeries ſi nedum alii nos intelligunt. Si vero definitionem vocabulorum adhibuerimus, ſignificatio altiùs memoriæ inhæret; & ſi contigiſſet nos ab ea incautos abiiſſe, in viam eâ ratione faciliùs rediremus, ſubſtitutâ nimirum definitione loco definiti, unde illicò utrùm in priſtina ſignificatione hæſiſſemus, necne, innoteſceret.

5. Hoc ipſum etiam aliis inſervit, ut idem experiantur. Ita cum Euclides definiiſſet angulum, *concurſum duarum linearum rectarum in eodem plano inclinatarum*, animadverſum eſt ab iis, qui ejus Elementa diligenter legerunt, ſignificationem eam vocis *Angulus* conſtanter ab eo non eſſe ſervatam. Ubi enim docet quâ ratione *angulus* dividi poſſit, illicò apparet eam vocem aliâ ſignificatione ſumi; neque enim dividi poteſt *concurſus duarum linearum*, cùm fiat in puncto indiviſibili. Itaque, ubi de diviſione Anguli agit, voce *Anguli* ſpatium interceptum inter duas lineas rectas inter ſe concurrentes, &

in

in eodem plano inclinatas, quod ſpatium dividi poteſt, intelligit.

6. Secunda Definitionum Lex vetat *voces in iis, quarum ſignificatio diſtinctè nota non ſit, aut jam expoſita, adhibere.* Abſurdum eſt ad definiendas voces obſcuras uſurpare obſcuriores, aut æque obſcuras; cùm definitionem, non niſi ut clariùs ſermo intelligatur, addamus. Attamen quantum hac in re peccaverint Philoſophi Veteres, & Recentiores Scholaſtici, oſtendimus in Capp. *de Definitione* ſub ſecundæ Partis finem.

7. Liquet ex Regula duo requiri, ut voces ſint claræ, aut potiùs duorum alterutrum. Unum eſt, ut ſint uſu jam recepto ita certæ cuipiam rei attributæ, ut ad aliam transferri non ſoleant, ſaltem in ea occaſione in qua adhibentur, neque neſcio quid confuſum ſed rem certam deſignent. Sic vox *exiſtere* ita eſt ideæ ſimplici exiſtentiæ alligata, ut neque aliò transferri ſoleat, neque confuſum quid ſignificet. At vox *natura* obſcuriſſima eſt, quod de multis ſoleat dici, & quædam parum nota deſignet. Ubi de Hominibus uſurpatur, ſignificat, exempli causâ, *indolem, id quod à Deo per creationem acceperunt* oppoſitum ei quod uſu acquirunt, *proprietates eorum Mentis & Corporis, diſpoſitionem quandam quâ ſit ut, nemine docente, aliquid ſciant aut faciant*, &c. Igitur in accurata alicujus rei demonſtratione, eâ voce, niſi definitâ, aut ſaltem in eo loco poſitâ in quo vicinæ voces ejus ſenſum liquidò oſtendant, non eſt utendum.

8. Si verò quampiam vocem contra uſum uſurpemus, aut ipſi fingamus, definienda eſt. Atque ea definitio idem præſtat ac uſus receptus, eſtque altera ratio quâ vox clara fit, nec ſine ea ulla vox ignoti uſus eſt proferenda. Ejuſmodi eſt vox ἐνδελέχεια apud Ariſtotelem, quam ſpeciali quodam ſenſu, quem nullibi tradit, uſurpat; & quæ crucem ita ejus Interpretibus fixit, ut aiant *Hermolaum Barbarum* Venetum, virum eruditum, Cacodæmonis opem imploraſſe ut eam intelligeret.

9. Cæterùm ne ſint nimis multæ fingendæ definitiones, nunquam adhibendæ ſunt voces obſcuræ, niſi ubi nullæ

nullæ aliæ ſuppetunt. Alioquin paſſim definitiones eſſent afferendæ, & fortè etiam definitiones definitionum. Ita cùm dixiſſent Theologi, *Hominem eſſe naturâ corruptum*, quæſitum eſt primùm, quid intelligerent voce *corruptus?* ſecundò, quid ſibi vellent voce *natura?* tertiò, an voce *homo* intelligerent *corpus*, an *mentem*, ſeparatim, aut utrumque ſimul? Inde natæ definitiones plurimæ; quod exemplo unius vocis *corruptus*, oſtendemus, ne prolixiores ſimus.

A. Quid intelligis voce *corruptus?* 1.

B. Intelligo *peccatorem.*

A. Quid eſt tibi *peccator?* 2.

B. *Violator Legis divinæ.*

A. Quæ *Lex divina* hîc à te intelligitur? 3.

B. *Lex Adamo tradita.*

A. Quænam fuit ea *Lex?* 4.

B. 1. Præceptum de interdicto fructu non comedendo.
2. Quæ ratio Adamo ſuaſit eſſe facienda.

A. Ut hoc reſponſum, quaſi perſpicuum, admittam, quid intelligis voce *violator?* 5.

B. Qui *transgreditur* aut *non vult facere* ea quæ dixi.

A. An ergo omnes homines *naturâ* comedunt fructum illicitum? 6.

B. Minimè, ſed alius loco eorum comedit antequàm exiſterent, & ſtatim ac exiſtunt cenſentur ipſi comediſſe.

A. Debuiſti ergo dicere, *transgreſſorem* à te vocari tam eum pro quo alius transgreditur, antequàm exiſtat, quàm qui pro ſe ipſe peccat. Verùm, hoc miſſo, an omnes homines, ſtatim ac exiſtunt, *transgrediuntur ea quæ ratio Adamo ſuaſit eſſe facienda?* 7.

B. Transgrediuntur.

A. Volúntne ergo contraria iis agere? 8.

B. Neſcio an habeant ullum voluntatis exercitium, ac proinde an aliquid agant.

A. Me ergo fefelliſti, quando dixiſti te credere *homines naturâ iſta transgredi*; nam transgredi, ut ipſe faſſus es, ubi agitur de Lege, eſt *nolle ei parere.* 9.

B. At hîc non ita intelligitur, idem eſt enim ac ſi quis dicet

ret homines ſtatim ac exiſtunt ita eſſe diſpoſitos, ut cùm incipiunt voluntate uti, incipiant velle contraria Legi.

A. Itaque dicere non debuiſti *hominem eſſe naturâ corruptum*, ut te intelligerem; ſed, *Hominem, cùm primùm exiſtit, cenſeri comediſſe fructum Adamo interdictum; & ita eſſe diſpoſitum, ut cùm incipit velle, contraria iis quæ ratio Adamo facienda eſſe ſuadebat, velit.* 10.

B. At nimis hoc prolixum eſt.

A. Sed multò prolixiora fuere reſponſa tua, ſi omnia colligantur quæ dixiſti, ut hoc te velle intelligerem.

Caput XI.

Exponitur Regula Axiomatum.

1. SUnt Propoſitiones tantæ perſpicuitatis, adeóq; omnibus notæ, ut earum veritas nobis conſtet, ſtatim ac voces quibus expreſſæ ſunt intelligimus, quales ſunt: 1. *Nihilum non poteſt eſſe cauſa alicujus rei: Nulla cauſa dat quod ipſa non habet.* Hæ aliæque ejus generis Propoſitiones demonſtratione non indigent, quia demonſtratio iis non poteſt eſſe evidentior. Atque hujuſmodi oportet eſſe omnia, quæ ſine demonſtratione, quaſi perſpicua, ſupponuntur. Etenim ex dubiis, aut obſcuris Principiis non poteſt indubitata elici conſequentia.

2. Verùm cavendum ne ea ſola clara & certa eſſe putemus, quibus nemo unquam contradixit. Poteſt enim fieri ut negatum olim fuerit Axioma evidentiſſimum, aut quòd verba, quibus erat expreſſum, non intelligerentur, aut ore tantùm à parum ſinceris, aut inſanientibus Philoſophis, quales videntur Pyrrhonici, & Academici fuiſſe, rejiceretur. Ac ſanè licèt reliqui omnes mortales negarent *numerum binarium eſſe majorem unitate*, nunquam ut homo ſui compos veritatem hujus enunciationis in dubium revocaret, efficerent. Crederet potiùs ſe ab aliis non intelligi, aut ab iis de induſtria negari, quod non negarent, ſi

ſin-

ſincerè loquerentur, aut inſaniâ omnes laborare; quantumvis hæc videantur incredibilia, quia contraria æquè evidentia, ac prolatum Axioma, eſſe nequeunt.

3. Si quis quærat unde naſcatur Axiomatum, etiam generalium, evidentia, ut cùm dicitur, *Totum eſſe ſuâ parte majus*, cùm non viderimus omnia Tota, ut an partibus ſuis majora eſſent experientiâ inveſtigaremus? Reſpondebimus, eam evidentiam inde oriri, quòd agatur in ejuſmodi Axiomatibus de ideis abſtractis, quas adæquatè novimus, & immediate comparamus. Cùm autem hujuſmodi ideæ animo noſtro diſtinctè obverſentur, ſimplici intuitione relationem, quæ inter eas eſt, animadvertimus, nec poſſumus vel minimum dubitare de eo quod animi ſimplici intuitu novimus. Hinc indubitatò quæcunq; inter quæ eadem eſt relatio, quam inter duas ideas abſtractas cernimus, eodem modo ſe habere inter ſe colligimus. Itaque non neceſſe eſt dici eas ideas nobis innatas eſſe; imò falſum hoc eſſe neceſſariis argumentis oſtenderemus, ſi res eſſet hujus loci.

4. Quicunque ergo intelligunt quid ſibi velint verba, quibus utimur ad Axiomata concipienda; ſeu quicunque, verbis illis prolatis, animo comparant eaſdem ideas quas comparamus, neceſſariò eadem de iis ferunt judicia. Ita cùm dicimus *binarium*, *trinarium*, *quaternarium*, *reliquósque numeros majores eſſe unitate*, quicunque, his verbis auditis, horum numerorum ideas abſtractas comparabit, illicò nobis animo aſſentietur; & ore etiam, ſi ex animi ſententia loquatur, aſſenſum teſtabitur.

5. Neque inde, nos tantùm quæ animo noſtro immediatè obverſantur cognoſcere, adeóque Diſciplinas non circa res ipſas, ſed circa ideas verſari, ſequitur. Etenim res omnes, inter quas eædem ſunt relationes, quas inter ideas noſtras videmus, eâdem operâ comparamus; de ſimilibus enim ſimilia feruntur judicia. Ita poſtquam conſideravi animo ideas abſtractas *Totius* & *Partis*, & dixi *partem minorem eſſe toto*, hoc judicium latum eſt de omnibus quæ ſunt inter ſe ut Totum & Pars, ſeu ideæ abſtractæ Totius & Partis. Igitur ſi Domus aliqua ſit pars Urbis,

ſtoria, cum omnibus circumſtantiis cognovimus, invenienda eſt idea generalis *prudentiæ civilis*, quæ poſtea ſingulari illi facto, ut videamus utrum ei conveniat, aptanda eſt.

7. Verum cum quæſtiones ſunt difficiles, & longa diſcuſſione indigent, tertiâ Lege cautum eſt: *Ut à re, quæ conſideranda venit, omnia, quæ non neceſſario pertinent ad inveſtigatam veritatem, circumcidantur.* Ita in Quæſtione modò memorata, non eſt inquirendum quid ſit *Reſpublica* in genere, ánve melior *Democratia*; aut *Ariſtodemocratia* quam *Monarchia*? Status Romanæ Reip. cognoſcendus, & videndum utrùm quod Cicero fecit ſalubre ei eſſet.

8. Cum quæſtio eſt redacta ad minimos terminos, hoc eſt, cum percepimus diſtinctè qua de re agatur, omiſſis omnibus aliis ad eam neceſſariò non pertinentibus, tum quarta Lex jubet *Quæſtionem compoſitam dividi in partes, eaſque ſigillatim expendi, eo ordine ut ab iis incipiamus quæ ſimplicioribus conſtant ideis; nec unquam ad compoſitas deveniamus, niſi poſtquam ſimpliciores diſtinctè novimus, & faciles nobis conſideratu meditatione effecimus.* Sic in Quæſtione allata, hæc quæri poſſunt, 1. Quis fuerit Rom. Reip. ſtatus, juxta leges receptas? 2. Leges in quibus ſita erat Reip. forma. 3. An veriſimile fuerit à Proceribus Romanis potuiſſe eas Leges inviolatas ſervari, vi & Senatusconſultis contra Antonium agendo? 4. Quæ vires iis fuerint, quæ Antonio? 5. Quæ auctoritas Senatûs, inturbatâ Republica? 6. Quæ gratia Antonii apud Pop. Romanum, aut apud milites? 7. An hiſce collatis veriſimile eſſet Senatum ſuperiorem futurum? 8. An contra omnem ſpem eſſet Antonius armis impetendus? *&c.*

9. Cum Meditatione diſtinctam omnium Quæſtionis partium cognitionem adepti ſumus, & facilè eas animo verſamus, quinta Lex jubet *Idearum quædam ſigna conſtitui figuris, aut verbis quam pauciſſimis comprehenſa; eaque ſigna memoriæ imprimi, aut chartæ illini, ne amplius circa hæc laboret Mens.* Si velimus, poſſumus capita Quæſtionis memoratæ in pauciora verba contrahere, ut 1. Reſp. Romana,

mana. 2. Ejus conſervatio. 3. Senatûs vis & auctoritas. 4. Antonii, *&c.* Huic Legi tum potiſſimùm parendum, quando Quæſtiones ſunt difficiles & multis capitibus conſtant; licet inutilis non ſit, etiam in facilioribus. Ejus ope citiùs ratiocinium concluditur, quam ſi multis verbis, aut aliis ſignis ſit concipiendum. Deinde citiùs etiam partium nexus animadvertitur.

10. Poſtquam quæ neceſſariò in Quæſtione conſideranda ſunt, ea nobis evaſerunt dilucida compendioſiſque ſignis notata, & ordine diſpoſita ſunt, tum *ideæ*, juxta ſextam Legem, *invicem, aut ſolâ meditatione, aut arrepto calamo & comparatione verbis expreſſa conferendæ.* Poſſumus, exempli cauſa, vires Senatûs cum Antonii viribus meditando comparare. Aut, ſi velimus, utraſque ex Hiſtoria cognitas chartæ conſignare. Ubi plura ſunt conferenda, memoria & judicium plurimùm ſcriptione juvantur; alioqui facilè confunduntur, & perturbata malè judicant.

11. Si comparatione factâ omnium idearum, quarum ſigna chartæ illevimus, nondum ſit inventum quod quæritur, ſeptima Lex hoc conſilium ſuggerit: *Abſcindendas omnes Propoſitiones, quas ad quæſtionis ſolutionem inutiles eſſe, examine facto, deprehendimus; & in reliquis eodem ordine, qui ſex prioribus Regulis traditus eſt, denuo procedendum.*

12. Si, examine repetito quoties neceſſe erit, nihil eorum quæ notâſſemus videretur conducere ad Quæſtionis ſolutionem, tum fatendum eſſet Quæſtionem, nobis ſaltem, eſſe ἄλυτον; quandoquidem quicquid videremus in ejus partibus ad eam ſolvendam ſatis non eſſet. Itaque aut omittenda, aut conſilium alicujus eſſet quærendum, ſi forte alius nobis oculatior, aut inveſtigandi petitior ſit.

13. Atque hæ ſunt Leges Analyſeos, quæ non omnes in omnibus Quæſtionibus obſervandæ; in ſimplicioribus enim, aut paucis Propoſitionibus conſtantibus, una aut altera Lex ſufficit. Sed ubi ſunt valde compoſitæ & intricatæ, ſæpe ad ultimam deveniendum, quæ & plùs ſemel repetenda. Eaſdem fuſiùs, res enim eſt maximi momenti, ſigillatim aliquot Capitibus exponemus.

CA-

Caput XI.

De tribus Axiomatibus, quibus nititur Methodus omnis.

1. De primo Axiomate, circa *Evidentiam in omnibus cognitionis gradibus conſervandam*, non neceſſe eſt quicquam à nobis, præter ea quæ ſuperiùs obſervata ſunt, dici. Hoc tamen in loco, memorandum fuit, cùm ut ſequentium cum eo nexus appareret, tum etiam quod nimis inculcari apud homines, obſcuris aſſentiri aſſuetos, nequeat.

2. Secundum, quod inde ſequitur, eſt: *Nos non oportere de rebus, quarum menti claræ non obverſantur ideæ, aut de obſcuris, quatenus obſcuræ ſunt, ratiocinari.* Non eſt ita hoc Axioma capiendum, quaſi negaremus rerum hactenus ignotarum naturam poſſe quæri. Contrarium hoc eſſet inſtituto noſtro, quo viam ad ulteriores veritates retegendas aperire aggreſſi ſumus.

3. Verùm de obſcuris ratiocinari duplici ſenſu illicitum Philoſopho ducimus. Unus eſt, eum objecta contemplationum ſuarum eligere non oportere, quæ demonſtrationibus evidentibus conſtat inveniri non poſſe. 1. Ita fieri nequit ut *quadratura circuli*, aut *duplicatio cubi*, quod demonſtrarunt plurimi Geometræ, inveniatur. Igitur hanc legem violaverit, quiſquis inquirendis iſtis tempus triverit. 2. Fieri nequit ut intelligamus quæ ſit intima ſubſtantiarum natura; hoc unum cognoſcere poſſumus, coëxiſtere in ſubſtantiis proprietates quaſdam, quod experientiâ didicimus. Ergo eſt omittenda inveſtigatio ſubſtantiarum, nec quicquam præter earum proprietates quærendum. 3. Si nullam ſubſtantiam intimè cognoſcere queamus, ne quidem creatas, multò minùs quæ ſit ſubſtantia ejus Naturæ, à qua reliquæ omnes procreatæ ſunt, inveniemus. Ex iis quæ in Creaturis videmus, poſſumus colli-

colligere, veluti per experientiam, ea esse in Creatore; nemo enim dat quod non habet. Verùm quomodo omnes omnium Creaturarum proprietates reales in Deo coëxistant, concipere nequimus. Voluntatem ejus partim ex eventu, partim ex revelatione colligimus; sed hanc esse totam ejus voluntatem, non nisi stultè affirmaverimus. 3. Ex brevissima antiquissimarum rerum Historia, eaque Lingua haud satis nota scripta, eam rerum illarum cognitionem haurire non possumus, ut omnibus, quæ circa illas proferri possunt, quæstionibus satisfacere nos posse speremus.

4. Ex tribus hisce posterioribus exemplis, sequitur neque Theologiæ, neque Physices ullum Systema perfectum posse ab hominibus fieri; quia cùm principia rerum Theologicarum, & Physicarum sint maxima ex parte ignota, non possunt inde deduci consequentiæ, quarum ope solvatur quicquid occurrit difficultatis, sine quo plenum Systema fieri nequit. Itaque frustrà se cruciarunt qui istarum rerum accuratam cognitionem per principia, indeque ductas consequentias impertiri nobis conati sunt.

5. Alter Axiomatis allati sensus, est ex ignoto, aut incerto principio non posse evidentem consequentiam deduci. Omnes quidem Philosophi Axioma admittunt: nec eo seciùs & Veteres & Recentiores passim in id peccant. Aristotelica principia obscura sunt, & ignota interdum, nec minus Aristoteles in Physica se posse claras inde deducere consequentias credidit. Exempla afferrem, nisi passim, aperto Peripatetico Syntagmate, occurrerent. Sed quod mireris, Recentiores ipsi, qui maximè omnium id in Aristotele reprehendunt, in eundem scopulum passim impingunt. Supponunt sibi notum esse quicquid est in natura corporum, quod sanè obscurissimum est; unde concludunt, quasi manifestum, ad corporum naturam non pertinere quod in ea non deprehendunt. Ita non videmus quî corpora possint sponte moveri; seu inter proprietates corporum quas novimus, nullam quæ aliquem cum spontaneo motu nexum habeat cernimus. Inde sanè sequitur nos non debere affirmare corporibus ullis inesse

eſſe vim ſeſe movendi; quandoquidem quod ignoramus affirmare quaſi compertum non licet. Sed non ſequitur id non eſſe, quod ignorem an ſit. Similiter in Mente noſtra nihil videmus clarè, præter cogitandi proprietatem, ideóque aliquam aliam ei ineſſe affirmare non poſſumus. At nec negare par eſt, quoniam, ut alibi diximus, multa eſſe queunt quæ ignoramus. Igitur qui diſtrictè affirmant, exempli causâ, à Mente moveri corpus, ii plus affirmant quàm norunt; ſed nec minùs peccant qui idem negant, quia eam proprietatem in Mente non animadvertunt. Hac in re Vir * alioqui laude digniſſimus, & ex quo non pauca ad Methodum pertinentia hauſimus, in illo ipſo capite ubi Axioma, quod nunc interpretamur, profert, & exemplis illuſtrat, peccaſſe videtur.

6. Ne quis porrò hîc mentem noſtram in alienum ſenſum torqueat; monere neceſſe eſt, quæ diximus non eſſe ita intelligenda, ut inde ſequatur contradictoria negari non poſſe. Aliud enim eſt negare eſſe in aliquo ſubjecto quicquam, præter id quod in eo novimus; aliud aliquid poſſe in eo eſſe & non eſſe ſimul negare. Ita non poſſumus in Mente nihil eſſe aliud, præter cogitandi vim, quia nihil aliud in ea videmus, affirmare: ſed poſſumus, ſine erroris periculo, Mentem, dum cogitat, non poſſe eſſe cogitatione deſtitutam, quia clarè alterutram harum propoſitionum neceſſariò eſſe falſam videmus, contendere.

7. Ut hanc ſecundam, quam memoravimus, cautionem obſervemus, neceſſe eſt principia ſemel ponenda expendamus diligentiſſimè, priusquàm ad conſequentias veniamus. Tertio Axiomate docemur *debere nos à ſimplicibus & facilibus initium facere, iiſdémque, priusquam ad compoſita & difficilia progrediamur, aliquandiu inhærere.* Si quis vellet Arithmeticam diſcere, & ſtatim leviter quatuor primas Regulas *Additionis*, *Subtractionis*, *Multiplicationis*, *& Diviſionis*, quod ſint faciles intellectu, delibaret; deinde quàm primùm ad ulteriores Regulas, quales ſunt Regulæ quæ *Trium* & *Falſi* dicuntur, progrederetur; is ſanè tan-

* Sciptor Gallus *de Inquirenda Veritate* Lib. vi. c. 2. p. 11.

tantam in hiſce difficultatem experiretur, ut Arti, niſi denuò à ſimplicioribus inciperet, eáque ita memoriæ mandaret, ut ſemper eſſent in promptu, valedicendum ei eſſet.

5. Attamen, in ſolvendis difficultatibus Philoſophicis, ea Methodus negligitur, ſimplicia & facilia quaſi nota vix delibantur, uno, ut ita dicam, ſaltu ſe horum ſtudioſus ad difficilia & compoſita confert: unde fit ut ſudet, hæreat, & ubi quod cogitat effert nihil præter nugas aliis propinet. Atque hac in re ſummopere peccarunt Veteres Philoſophi, & qui eos ſequuti ſunt. Sed nec planè hujus vitii expers eſt, licèt multò diligentius ſibi ab eo caverit, ipſe Carteſius. Hinc * vel ejus diſcipuli obſervarunt ex regulis motûs, quas tradidit, quartam, ſextam, & ſeptimam falſas eſſe. Hinc quoque iidem eum temerè quieti, quaſi Enti poſitivo, vim reſiſtendi tribuiſſe oſtenderunt. Hinc denique, ut exemplum addamus quo totum ejus Syſtema Phyſicum concutitur, poſtquàm oſtenſum eſt quietem non eſſe cauſam ob quam partes ſibi invicem adhærent, neque hoc fieri per compreſſionem aëris, neque impulſu materiæ ſubtilioris; ſupereſt ut incompertum eſſe quare corpora ſint extenſa, ſeu habeant partes extra partes, dicamus. Adde quòd cùm partis unius ſingularis materiæ nullam ideam habeamus, neſcimus quid nobis velimus, cùm dicimus extenſionem eſſe ſitam in eo quòd corpora partes extra partes habeant. Si Carteſius diutiùs prima cogitata preſſiſſet, quo erat ingenio, fortè deprehendiſſet ea incommodis illis laborare, & conficiendi Syſtematis Phyſici conſilium temerarium abjeciſſet. Sed ſe intra terminos continere, quibus excedere poſſe cum gloria nos putamus; aut tam diu ſerere, ut ita dicam, ſine ullius meſſis collectione, difficillimum eſt.

* *Malebranchius* de *Inquirenda Veritate*, Lib. vi. p. 11. c. xi.

CA-

CAPUT VI.

De Prima Analytices Regula.

1. QUandoquidem omnia noſtra judicia ſunt tantùm perceptiones relationum, quibus perceptionibus acquieſcimus; cùm quidpiam quærimus, quod ignoramus, à nobis nihil præter ignotam relationem quæri manifeſtum eſt. Quando igitur in prima regula, *perſpicuè intelligendum quæſtionis propoſitæ ſtatum* dicimus, idem eſt ac ſi cavendum eſſe ne eam relationem quæri putemus, quæ nequaquam inveſtigatur, moneremus. Niſi enim certa quædam nota inſigniat relationem quæſitam, nec ſciemus quid quæramus, nec inventum agnoſcemus.

2. At ſi ejuſmodi relatio ſit perſpicuè nota, inquiet fortè quiſpiam, quomodo ampliùs quæritur? Verùm, inquam ego, an poteſt eſſe rei prorſus ignotæ aliqua cupido? Nulla omnino. Itaque id quod quæritur certo quodam ſigno ita diſtinctum eſſe ab omnibus aliis neceſſe eſt, ut & inventum agnoſcatur, & antequàm quæratur eatenùs notum ſit. Nulla quæſtio, niſi ejus termini ſint aliquatenus noti, ſolvi poteſt. Ita quæritur, exempli cauſâ, *quinam ſint duo numeri, inter quos eſt hæc relatio, ut ſi unitatem uni detrahas quam addas alteri, futuri ſint pares; contrà verò ſi ei cui detraxiſti addas alteri demptam unitatem, unus duplo major altero ſit futurus?* Licèt ignorentur ipſi numeri, inter quos eſt hæc relatio, attamen ſunt eatenùs noti, quatenùs inter eos ea debet eſſe relatio, unde inventi ſtatim agnoſcantur.

3. Quando quæſtio verbis eſt concepta, quantùm fieri poteſt, diſtinctè ſunt intelligenda; ſeu optimè noſcendæ ideæ, quæ ſingulis vocibus ſignificantur. Igitur æquivocatio terminorum amovenda eſt, ne pro una quæſtione, tot exſurgant, quot erunt Propoſitionis ſenſus; nec ſcire,

ſi

ſi ab alio propoſita ſit quæſtio, quem ſenſum ei tribuat, poſſimus.

4. Exemplo eſſe poteſt quæſtio nugatoria puerorum piſcatorum, quæ * *Homero* propoſita dicitur. Quærebant quid eſſet, de quo dici poſſet

Ἄσσα ἕλομέν λιπόμεθα, ἃ δ᾽ οὐχ ἕλομεν φερόμεθα.
Quæ capimus relinquimus; quæ non capimus referimus.

Negatur Homerus potuiſſe reſpondere; nempe, quòd omnia hæc verba eo ſenſu, quo ſolent à Piſcatoribus ſumi, intelligenda crediderit; qua ratione quæſtio erat planè ἄλυτος. At ſtatim ac pueri dixerunt ſe pediculos intelligere, facillima ſolutu viſa eſt. Poſſemus afferre exempla quæſtionum, ex graviſſimis Diſciplinis; quæ malè ſolvuntur, quòd voces æquivocæ non intelligantur. Quæſtiones, quæ proponuntur de ſenſu locorum *Scripturæ ſacræ*, quamplurimæ ſunt ejuſmodi. Verùm hoc extra limites nobis in Compendio hocce præfixos nos abduceret. Satis ſit hoc monuiſſe, ut obſervetur.

5. Si nequeamus ſcire omnes ſenſus vocabulorum, quibus quæſtio concepta eſt; an à nobis eo ſenſu, quo propoſita eſt, ſoluta ſit, reſcire non poſſumus; quod in quæſtionibus generalibus, & quarum occaſio ſatis nota non eſt, ſæpe uſu venit. Tum temporis de quæſtione propoſita, nihil præter conjecturas proferre licet. Atque ejuſmodi ſunt omnes pænè difficilium locorum, quæ ex ſerie orationis exponi nequeunt, apud Scriptores Veteres, interpretationes.

6. Poſtquàm vocabula, quibus quæſtio concepta eſt, quantùm potuimus, clara nobis effecimus; attentio animi convertenda eſt ad conditiones, ſi quæ in ea ſunt, conſiderandas. Niſi intelligantur, obſcura quæſtio remanet; & ſæpe ejus ſolvendæ viam oſtendunt. Si nullæ ſint, neque ullæ ſubintelligantur, tum quæſtio generalis eſt, circa quam ea obſervanda ſunt quæ diximus. Si verò ſubintellectæ & quidem neceſſariæ non exprimentur; tum, niſi liceat eum qui quæſtionem proponit interrogare, non poteſt ſolvi. Si inutiles ſunt quæſtioni additæ conditiones,

* *Herad. in vita Homeri* cap. XXXV.

nes, ſunt diſtinguendæ à neceſſariis; niſi enim hoc fiat quod nullius eſt momenti quærimus, dum neceſſaria interdum omittimus.

7. Poteſt proponi hæc quæſtio: *Invenire duos numeros, quorum unus, deſignatus literâ* A, *ſuperet alterum literâ* B *notatum, duabus unitatibus, ita ut deſumptâ ex numero* B. *unitate, numerus* A *eâ additâ ſit duplo major.* Hîc conditio eſt concepta vocibus, *ita ut*, &c. atque ad hanc maximè attendendum, quia ſine ea non intelligitur quæſtio. Non enim quæritur, quâ ratione inveniri queat numerus duabus unitatibus alterum ſuperans ſimpliciter: Sed ejuſmodi numeri, in quibus id occurrat quod in conditione ponitur, qui ſunt 7 & 5. quæruntur.

8. Omitteretur conditio neceſſaria in hac quæſtione: *An homo poſſit ita immotus reddi, ut incedere nequeat, modò digitum ſuum auri inſerat, donec digitum ex aure eduxerit?* Quæſtio ita concepta negabitur, neque enim, immiſſo tantùm in aurem digito, quiſquam immotus reddi poteſt. Affirmatione verò eidem quæſtioni reſpondebitur, ſi addatur; *ita eum hominem collocando, ut brachio columnam aliquam immotam complectatur, dum digitum ejus brachii auri inſerit.*

9. Interdum etiam quæſtioni propoſitæ annectuntur inanes conditiones, quæ nihil ad rem faciunt, ut ſi proponeretur hoc Problema: *facere ut homo unguentis delibutus, coronáque ferteâ redimitus, non poſſit quieſcere, licèt nihil quod ipſum moveat, cernat.* Si quis hæreat circa hæc, *unguentis delibutus, coronáque ferteâ redimitus*, fruſtrà laborabit, iſta enim nihil ad rem faciunt. Quod quæritur fiet, ſi is homo navi à vento actæ imponatur, aut ſi è turri, vel alio loco excelſo cadat; movebitur enim neceſſariò, quamvis quod eum movet non videat, nam à materia ſub oculos non cadente pelletur.

10. Atque hæc non tantùm in quæſtionibus, animi gratiâ, fictis conſideranda. Similia occurrunt in iis quæ ex Critica, exempli causâ, aut Phyſica, reliquiſque omnibus Diſciplinis proponuntur. Ita ſi quæratur, *quid ſignificet vox quæpiam* in genere conſiderata? quod reſponde-

bitur, licèt verum, rarò ad ſolvendam quæſtionem particularem, *quid ſignificet vox illa in certo quodam loco?* ſufficiet. Igitur ſi quis hoc poſterius reſcire aveat, eum non generatim quæſtionem proponere, ſed locum recitare, in quo vox cujus ſenſus quæritur, occurrit, neceſſe eſt. Nempe, vocibus, pro ſitu quem obtinent, varia, quæ ſolæ non deſignant, ſignificari, ſolenne eſt.

CAPUT VII.

Secunda & Tertia Analyſeos Regulæ exponuntur.

1. OMnes quæſtiones ad duo genera poſſunt referri; ſunt enim omnes aut ſimplices, aut compoſitæ. Ad priorum ſolutionem, nihil aliud requiritur, præter diligentem idearum, quibus conſtant, comparationem. Ita quando dicitur circulus habere eam proprietatem, ut omnes lineæ, quæ ab ejus centro ad circumferentiam ducuntur, ſint æquales; ſi quis hac de re dubitaret, vellétque inquire verúmne ſit an falſum hoc Axioma, ideam circuli cum idea hujus proprietatis duntaxat conferre eum oporteret.

2. At quæſtiones compoſitæ, niſi ideæ quibus conſtant cum tertia quadam idea, aut etiam pluribus comparentur, ſolvi non poſſunt. Relationes enim ignotas quæ inveſtigandæ ſunt, comparatione immediatâ idearum quæſtionis propoſitæ, cum nequeat fieri, nemo invenerit. Eſt ergo invenienda una idea, aut plures etiam ſunt quærendæ, cum quibus termini quæſtionis comparentur. Debent autem ejuſmodi ideæ perſpicuæ eſſe, ſaltem juxta relationem, ſecundùm quam cum aliis comparantur. Atque hinc ducta eſt ſecunda Analyſeos Regula, quam ſuprà attulimus Cap. IV.

3. Exemplis res perſpicua evadet. Quæſtio hæc ſi proponeretur, *An oporteat furem capite plecti?* quoniam *furis* idea non poteſt immediatè cum *ultimo ſupplicio* comparari,

ri, nulla intercedente inter eas ideas naturali connexione, adeò ut idea furis excitet neceſſariò ideam hujus pœnæ: non poſſemus eam quæſtionem ſolvere, niſi interventu tertiæ cujuſdam ideæ, cum qua utraque compareretur, nempe *juſtitiæ ultricis*, aut *prudentiæ civilis*. Comparatione abſolutâ, juſtitiam, aut bonum Reip. requirere, ut fur capite plectatur, vel contrà mitiori ſupplicio afficiatur, diceremus.

4. Si rurſus quæreretur, *an puerum quindecennem furti reum oporteat capitali ſupplicio plecti?* Hac quæſtione prior involveretur, priùs enim an omnino fur debeat capite pœnas luere, quàm quæramus an ejuſmodi furem hac pœnâ affici æquum ſit, quærendum eſt. Itaque, niſi prior quæſtio ſoluta eſſet, hæc poſterior non poſſet ſolvi. Deinde, poſito furtum commiſſum in viro poſſe puniri, ultimo ſupplicio, juxta leges; quærendum eſſet an eædem pœnæ eſſent de puero quindecenni ſumendæ. Itaque eſſet hîc rurſus alia comparatio, non pueri cum pœna, ſed pœnæ puero infligendæ cum *juſtitia*, aut *prudentia*, inſtituenda. Hæ enim ſunt eædem, in Reip. adminiſtratione; verùm hac de re hîc non agitur.

5. In hac eadem quæſtione, poſſunt aliæ ideæ comparandæ occurrere, quia utilitas Reip. non eſt res ſimplex; ſed hîc, docendi gratiâ, *juſtitiam* eſſe ideam ſimplicem & ſummæ perſpicuitatis ſtatuimus. Supponimus etiam de circumſtantiis furti non quæri, quæ plerumque tamen in conſiderationem veniunt. Verùm ſi omnia eſſent hîc accuratè enumeranda, juſtum inde poſſet confici volumen.

6. At ſi quæratur, *quâ pœnâ ſit plectendus Titius, qui ſint ſententia Judicis rem ab alio ſibi, ut ait, debitam vi abſtulerit?* tum primâ fronte apparent plurima quærenda: 1. Videndum an verè creditor ſit alterius, à quo rem iſtam abſtulit, quam in rem ejus affirmatio debet comparari cum inſtrumento, ſi ſit aliquod, aut cum juramento, aut cum teſtibus, *&c.* 2. Videndum an tantam ſummam pecuniæ crediderit, quantam dicit, quod cognoſcere eſt ex comparatione ejus affirmationis cum verbis inſtrumenti,

teſtium, &c. 3. Videndum an rapuerit? 4. An vi uſus ſit, ubi audiendi ſunt teſtes, quorum teſtimonia cum multiplicibus ideis ſunt comparanda, ut conſtet an ſint vera. 5. Videndum an Leges damnent vim quamlibet in illo negotio, ubi comparatio inſtituenda facti cum verbis Legis. 6. Vim, quæ abhibita ſupponitur, ubi non interceſſit ſententia Judicis, quâ pœnâ Leges afficiant. Igitur priuſquam ſolvatur hæc quæſtio, *quomodo Titius ſit plectendus?* idearum mediarum cum terminis quæſtionis, multiplex eſt inſtituenda comparatio.

7. Si autem in ea comparatione aſſumantur ideæ minùs perſpicuæ, ſummum eſt erroris periculum; qui ſi aliquâ irrepat, ſequentes omnes Propoſitiones aut falſæ aut extra rem ſunt, & concluſio prorſus falſa. Etenim, ex ſuperiori exemplo, propoſitiones eſſe invicem connexas, aut iis quædam ſupponi quaſi comperta, híſque omnibus niti concluſionem; adeò ut ex una falſitate præmiſſa, concluſionis ſequatur falſitas, ſatis liquet.

8. Tertia Regula eſt, *à quæſtione, quæ conſideranda venit amovenda eſſe omnia, quæ ad inveſtigatam veritatem neceſſariò non pertinent.* Hæc Lex manifeſtæ eſt utilitatis, quoniam qui eam non obſervant, aut vagantur extra oleas, nec inveniunt quod quæritur, aut ex alienis ideis de eo judicant, aut animum fruſtrà fatigant. Ita, ſi in quæſtione modò propoſita, quæratur utrùm *Titius* ſit civis aut peregrinus, quæ ſint Leges aliarum Gentium de vi raptis, aliáque ſimilia; inde nihil ad Quæſtionis ſolutionem hauſtum iri manifeſtum eſt.

9. Hæc cautio in iis quæſtionibus, quæ pluribus verbis ſunt conceptæ, aut ab imperitis, aut datâ operâ, ut intricatiores reddantur; aut quæ hauriuntur ex aliquo ſcripto, quod qui exaravit in animo non habuit ejuſmodi quæſtionem dilucidè proponere, adhibetur.

CA-

CAPUT VIII.

Exponuntur Quarta, Quinta, Sexta & Septima Regulæ Analyſeos.

1. POſtquàm ex quæſtione propoſita ſuſtulimus quicquid ad rem quæſitam neceſſariò non pertinet aut pertinere non videtur; ſi quæſtio tamen compoſita ſuperſit duobus, aut pluribus capitibus; quoniam plura ſimul attentè expendere non licet, juxta quartam Legem, 1. *dividenda eſt quæſtio in ſua capita*; 2. *ea capita ſigillatim expendenda, & eo quidem ordine, ut ab iis incipiamus quæ ſimplicioribus conſtant ideis*; 3. *nec priùs ad capita magis compoſita, quàm ſimpliciora meditatione perſpicua & facilia nobis facta ſint, deveniendum.*

2. Manifeſta eſt hujus Legis, in quæſtionibus compoſitis ſolvendis, neceſſitas. Primùm enim, ſi confundamus capita diverſa, nunquam eorum diſtinctas ideas habebimus, confuſio enim & diſtinctio in una ſede non morantur. Hinc vix poterimus ideas inter ſe comparare, ut ſunt comparandæ ad veritatem tutò inveniendam; quæ ſi aliter nobis occurrat, id potiùs caſui, quàm ſapientiæ imputandum erit. Ut enim is qui oculis plura ſimul videre vult, nec ea diſtinctè videt, non poteſt de ſingulis ſatis judicare: ita qui mente plura quam poteſt complecti nititur ſe ipſe perturbat, nec certa judicia de pluribus ſimul ferre poteſt.

3. De variis ideis, interdum quidem idem fertur judicium, attamen ut plurimùm eadem judicia pluribus conſentanea non ſunt. Si autem mixtim de pluribus judicemus, ſingulis ſigillatim non expenſis, generale de rebus diverſis judicium, quod rarò non aliqua ex parte peccat, ferimus. Facile eſſet exempla virorum celebrium congerere, qui dum quæſtionum multis capitibus conſtantium

partes non diſtinguunt, ab aliis non poſſunt intelligi, neque ipſi forte ſe intellexerunt. Sed ſufficiet hoc indicio eos homines deſignare; nimirum, quando lecto diligenter opere aliquo, cujus argumentum aliàs nobis non eſt ignotum, non poſſumus ad certa capita contrahere quod in eo habetur, neque ordinem Scriptoris indicare, inde ſanè ab eo hanc Analyſeos neglectam Regulam liquet. Si quis legat ſcripta, non Veterum modò, qui paſſim hoc vitio laborant, ſed Recentiorum plurimorum, hoc experietur. Duos, alioqui Viros Magnos, inſtar omnium, appellabimus, *Joannem Seldenum Anglum*, *Claudium Salmaſium Gallum*, qui ita ordinis Regulas omnes negligunt, ut propterea ſine moleſtia legi nequeant.

4. Eadem incommoda ex neglectu ſecundæ, & tertiæ cautionis, hujus noſtræ quartæ Legis oriuntur; & cùm jam egerimus hac de re *Cap.* v. §. 7. *& ſeqq.* unum hîc addemus; ſcilicet, poſtquàm ſimplicibus quæſtionis propoſitæ principiis aſſueti ſumus, ita ut diſtinctè animo abverſentur, contraria iis à nobis affirmari, ubi ad extremas conſequentias devenimus, non accidere. Contra ubi ſimplicia leviter prætermittuntur, & ad compoſita ſtatim progreſſio fit, illorum paulatim obliviſcimur, ac tandem ultima primis ſæpe adverſantur.

5. Quinta, ſexta & ſeptima Leges rarò in aliis Diſciplinis adhibentur, præter *Algebram*, ex qua exempla petita earum uſum oſtenderent. Sed quia difficiliora ſunt non aſſuetis, & eoſdem Canonas cæteris Diſciplinis cum fructu aptari poſſe cenſemus, aliunde exempla deſumemus.

6. Quando quæſtionem aliquam propoſitam ſolvere, & quod reſponderi poſſe videtur chartis allinere aggredimur, ſummæ eſt utilitatis capita quæſtionis paucis verbis chartæ committere, præſertim ſi multa ſunt; ne dum de uno cogitamus, cætera animo, ut fit, propter quæſtionum multiplicitatem elabantur. Hac quoque ratione, memoria etiam felix, quæ laborat in pluribus capitibus retinendis, non parum ſublevatur; & animus, aliis non impeditus, minori labore ſingulis attendit. Rarò omnes com-

compoſitæ & difficilis quæſtionis partes, quæ expendendæ veniunt, ſimul ac ſemel animo ſe offerunt. Plerumque diu meditandum, priuſquam omnes retexerimus; niſi autem eas quas primum invenimus ſcriptis mandaremus, facilè memoria elaberentur. At quia moleſtiſſimum eſſet multa ſcribere, ideo quibuſdam vocabulis poſſunt variæ relationes expendendæ exprimi.

7. Hinc etiam duo commoda, nequaquam ſpernenda, exſurgunt. Unum eſt antequam plenius ſcribamus quod de quæſtione quapiam meditatione, cùm ſolâ, tum lectione adjutâ, comperimus: hac arte facile ſcribendorum ordinem concipi, & immutari, ſi quid fortè malè conceptum ſtatim fuerit. Alterum, ita & ordinem, & partes tractationis memoriæ inſeri, relegendo aliquoties capita chartæ mandata, ut poſtea ubi ſcriptioni totius Diſſertationis incumbimus, ab ordine non recedamus, neque quidquam ex iis quæ conſideratu digna ſunt, omittamus. Alioquin ubi memoriæ nimium fidentes, ordine & capitibus Mente tantum conceptis, animum ad ſcriptionem adpellimus; multa, quæ inter ſcribendum occurrunt, affinia iis quæ cogitavimus, nos ſenſim à rectâ viâ deflectunt, faciuntque ut quæ erat agenda non agamus, & quæ ad rem nihil attinent excutiamus; quod ſæpiſſimè evenit duobus illis Viris, alioqui maxima laude dignis, quos antehac nomine appellavimus.

8. Poſtquam, juxta quintam Legem, ordinem conceptum notis quibuſdam expreſſimus, tum unamquamque Propoſitionem expendendam diligenter conſideramus, juxta ſextam. Sunt autem duo termini unius Propoſitionis, nunquam plures, comparandi; donec quæ ſit aut non ſit inter eos relatio viderimus. Hoc inventum paucis rurſus oportet ſcribi, ut memoria exoneretur, & ſine labore veſtigia noſtra relegere, ac videre quid hactenus invenerimus, & quis ſit ratiociniorum noſtrorum nexus, poſſimus.

9. Poſtquam omnes Propoſitiones expendendas ita ſcripſimus, nec tamen quod quærebamus, invenimus, ſeptima Lex nos veſtigia diligentiùs relegere; & quæcun-

que videmus inutilia fuiſſe, ad quæſtionem ſolvendam, delere; & ſi quid ſupereſt quod uſui eſſe queat, id denuo, juxta memoratam methodum, expendere jubet. Sæpe enim fit, in intricatis quæſtionibus, ut primo intuitu credamus quædam ad ſolvendam quæſtionem plane neceſſaria eſſe, quæ poſtea, experimento, comparatione accurata idearum, facto, inutilia deprehendimus. Contrà quædam, quæ non ſatis ſtatim excuſſeramus, nobis viam, repetito examine, ad veritatem inveniendam munient. Atque hæc unuſquiſque uſu potius quam exemplis ab alio allatis, intelliget.

10. Denique, ſi, examine inſtaurato aliquoties, nulla via appareat ſolvendæ quæſtionis, nihil ſupereſt niſi ut calamo abjecto quæſtionem ſolvi non poſſe à nobis agnoſcamus; aut ſi inter expendendas ideas deprehenderimus nullas poſſe inveniri, quibus ſolvatur quæſtio, eam ἄλυτον eſſe, ne quis fruſtra in ejus ſolutione quærenda animum fatiger, demonſtremus.

11. Difficilem fortaſſe hanc eſſe methodum quis dicet, at nulla facilior, nec in veritatibus inventu facilibus omnes Canones, ſed tantùm in intricatioribus ut jam monuimus, ad praxin revocantur. Sanè veritatem, ſine hac methodo, invenire, eandémque inventam agnoſcere; quàm methodo uti, & ex ejus uſu certitudinem inventorum colligere, multò difficilius eſt.

CAPUT IX.

Syntheſeos Regulæ traduntur.

1. EX comparatione, quam ſupra Capite I. inter *Analyticam* & *Syntheticam* Methodos inſtituimus, quâ in re ſita ſit *Syntheſis*, ſatis liquet. Poſtquàm nimirum veritatis cujuſpiam, aut totius Diſciplinæ principia invenimus, ordo aliquis quo partium ejus nexus facilè intelligeretur; & ita ſimul

lia in oculorum operationibus animadvertere, ac in Mentis actionibus, poſſum.

13. Si quod inveni ſit aliis exponendum, illi etiam facilius comparationi, quam nudæ rei expoſitioni attendent, citiùs quod dicam intelligent, & tenacius memoriæ mandabunt. Hinc antiquiſſimorum temporum utendi fabulis apud rudes populos conſuetudo, quam apud Orientales diu viguiſſe ex veteribus monumentis conſtat, nata eſt.

14. Verum hîc cavendum à peccato, in quod Veteres potiſſimum inciderunt. Nempe, dum nimium captant imperitorum Attentionem, tot figuris & locutionibus ex rebus corporeis petitis uſi ſunt, ut nullas pænè præter corporearum rerum ideas eorum animo offerrent. Adeò eſt ſub iis figuris oppreſſa veritas, ut planè lateat, & vix etiam à peritis inde poſſit erui; qua de re egimus in *Critica* noſtra P. 11. §. 1. Cap. xv.

15. Cavendum eſt etiam ab alio ſcopulo, in quem illiſerunt plurimi Veterum & Recentiorum, qui temerè Comparationem, aut aliam ejuſmodi Figuram, quâ res illuſtrantur, eſſe argumentum quo probantur crediderunt. Figuræ hujuſmodi adhibentur, ad res in majori lumine collocandas, unde *lumina orationis* dicuntur; ſed nihil quicquam probant.

16. Quin Affectus noceant paſſim veritatis cognitioni, nemo inficias iverit, & nos ſuperius oſtendimus; at multi an aliquando proſint multum fortè dubitent. Attamen cum affectus ſint inter ea, quæ naturâ ſuâ mala non ſunt; poſſunt, ſi quis eis probè moderetur, multum ad augendam Attentionem prodeſſe; imò fortaſſe nunquam eſt, ſine affectu aliquo acrior Attentio.

17. Certiſſimum eſt gloriæ cupiditatem multis unicam cauſam fuiſſe, ob quam veritatis inveſtigationi operam darent; at nec minus verum eos, dum inveniſſe videri volebant quod nondum invenerant, multa quaſi comperta, quæ tamen explorata non erant, protuliſſe. Nihilominus gloriæ ſtudio uti feliciter poſſumus, ſi ei, ut par eſt, moderemur. Utilis eſt honor & exiſtimatio, ut commodius

ipſi vivamus, & aliis prodeſſe queamus; ſed non eſt fama captanda, quaſi aliquid ſit quod propter ſe concupiſci debeat. Itaque eò connitendum eſt, quatenus id per veritatem & virtutem, quæ propter ſe amandæ ſunt, licet. Si quis ergo gloriæ ſtudio teneatur, quod ſit cum veritatis & virtutis amore vehementiſſimo conjunctum, dubium non eſt quin ea honoris cupiditate multum adjuvari, in inveſtigatione veri, poſſit. Tum ſibi honorem proponere licet, quaſi præmium aliquod veritatis inventæ: ut Opifici licet operæ ſuſceptæ ſibi mercedem proponere. Quemadmodum etiam Artifex non debet mercedem ullam poſcere, quam operâ non commeruerit: ita nec gloriam ſibi non debitam æquus veritatis indagator tribui poſtulabit.

18. Semper eſt recordandum eum affectum, ſi ſolus ſit, noxium eſſe; itaque in nobis excitandi alii affectus, qui ne nos gloriæ ſtudium ſolum transverſos agat impediant. Ejuſmodi eſt cupiditas ipſa veri cognoſcendi, quæ eſt in omnium hominum animis; nemo enim falli amat, nemo ignorantia delectatur.

19. Veri autem cognoſcendi cupiditas multum poteſt augeri, ſi cogitemus quantam voluptatem perceperimus, ubi aliqua veritas antea ignorata nobis innotuit, præſertim ſi diu eam quæſiviſſemus. Sanè tanta eſt in veritatis cognitione voluptas, ut qui in ea inveſtiganda operam ponunt, nihil in vita jucundius ſe experiri teſtentur, quam ubi aliquid, quod ipſos latuerat, retegunt.

20. Verum hoc quoque cavendum, ne judiciorum noſtrorum cauſa ſit ſolus etiam inveniendi veri affectus. Affectus enim nulli facem judicio præferunt; animum tantùm ad quærendum, quod noſtra noviſſe intereſt, incendunt. Itaque hoc quoque affectu utendum, ut ad veri inveſtigationem impellamur; ſed tum demùm judicium, ubi id cohibere non poſſumus ampliùs, quando de rebus agitur quæ evidenter cognoſci queunt, ferendum.

CA-

Caput III.

De Mentis Capacitate, ejuſque augendæ ratione.

1. *Capacem* animum vocamus, non quòd eum eſſe inſtar vaſis, quod *capax* dicitur à *capiendo*, eò quòd intra ejus latera continetur, cenſeamus; ſed metaphoricè, quòd uno tempore plures ei obverſentur ideæ. Eò autem capacior eſt, quò plures diſtinctè percipere poteſt: eò arctior, quò pauciores. *Capacitas* itaque Mentis augetur, quando conſuetudinem plurium ſimul idearum ſine confuſione conſiderandarum contrahit. Cùm autem dicimus *ſimul*, aut *uno tempore*, hoc non eſt ita intelligendum, quaſi unico indiviſibili momento, & unica Mentis perceptione multa poſſe diſtinctè intelligi velimus; nam ſanè pauca diſtinctè ſimul capiuntur. Sed quod dicimus aliqua latitudine debet exponi, & de breviſſimo tempore intelligi; quod tamen voce *ſimul* expreſſimus, quod tam celeriter Mens ab una cogitatione ad aliam, ut nulla ſit menſura externa temporis qua poſſit in partes dividi, tranſeat.

2. Si quis à nobis petat an omnes omnium hominum Mentes æquè naturâ ſuâ ſint capaces, adeò ut quicquid diſcriminis inter eas animadvertitur, id omne ab educatione manaverit? nullum reſponſum hic à nobis feret, niſi nobis non liquere, ſed duo eſſe experientia certiſſima.

3. Unum eſt, quorumdam ingenia eſſe adeò infelicia ut Propoſitionum duarum nexum ægrè capiant; niſi de rebus, quas experientia didicerunt, agatur. Cæterùm in merè theoreticis pænè cæci ſunt, nec diſcrimen ullum inter bonum & malum ratiocinium vident. Alii rurſus paulò capaciorem Mentem habent, poſſuntque nexum aliquot Propoſitionum, uno animi intuitu, deprehendere; ſed ſi deductio conſequentiarum paulò prolixior ſit, hærent, nec poſſunt ſe explicare. Sunt etiam felicia ingenia, quæ longam Propoſitionum ſeriem, ſi non unico intuitu, ſal-

ſaltem paucis cogitationibus, brevi tempore, facilè complectuntur. Non fatigantur, neque turbantur numero Propoſitionum, qui alios prorſus obtundit. Pænè dixeris eorum animos eſſe ampliſſima vaſa, quæ aliquoties impleta magnam liquoris copiam exhauriant: priorum verò adeo arcta eſſe, ut ſæpiſſime oporteat ea impleri, ut copiam liquoris exiguam ſucceſſivè exhaurire queant.

4. Secundo loco, experientia conſtat, Mentis capacitatem, quadam cogitandi de pluribus aſſuetudine, augeri poſſe. Notum enim eſt eos qui Geometriam, Arithmeticam aut Algebram primùm addiſcunt, initio conturbari, idearum ſimul conſiderandarum numero; nec poſſe, niſi moleſtiſſima attentione, quæ legunt aut quæ docentur, propter idearum conſiderandarum numerum, intelligere. Exempli gratia, qui primùm *Diviſionis Regulam* aſſequi nituntur, multiplici comparatione numerorum *Diviſoris* & *Dividendi* conturbantur. Si plures ſunt operationes Arithmeticæ peragendæ, ita ut nectantur invicem, nonniſi ægrè, qui fieri queat ut Magiſter, qui ipſos docet, poſſit tam facilè & veluti uno obtutu, aut paucis ſaltem, nexum tot Propoſitionum complecti intelligunt. At iidem poſtquam per aliquot menſes ſuppurationi operam dederint, facilè plures animo operationes, quas ſingulas antea capere non poterant, complectuntur. Hinc ergo poſſe capacitatem Animi augeri, colligere eſt.

5. Si quæratur rurſus, an omnium hominum capacitas eodem modo augeri poſſit? reſpondemus experientia quidem conſtare omnes qui animum ea, quam dicemus, ratione excolere poſſunt, capacioris fieri ingenii. Verùm hic triplex occurrit diſcrimen; ſunt enim qui in hujuſmodi ſtudiis ab initio ne hilum quidem proficere queunt, adeò aut obtuſi ingenii, aut infelicis cerebri ſunt! Inter eos verò, qui hiſce ſtudiis non ſunt prorſus inepti, quod ab initio apparet, alii aliis multò facilius proficiunt, ulteriúsque in cognitione procedunt; ſeu hoc ab animi, ſeu à corporis natura proficiſcatur. Qui ſe nullatenus aptos ab initio ſentiunt, ſi invita natura cogantur ſtudiis operam dare, nihilo magis proficiunt, quàm ſi aliud agerent. Hi ergo

rectè

rectè faciunt quando ab iis ſtudiis abſtinent, quæ ex multo ratiocinio pendent; & ad eas Artes, quæ experientia paulatim addiſcuntur, animum appellunt.

6. Ut ad rem ipſam veniamus, quicunque capacitatem animi auctam ſibi optat, debet ante omnia operam dare ut attentus eſſe poſſit, quando vult; quod ea ratione, quam Capite ſuperiori judicavimus, poteſt comparari. Etenim qui ne ad pauca quidem attentus eſſe, multò minùs plura ſimul diſtinctè intelligere & multiplicitate objectorum non confundi poterit.

7. Quandoquidem verò capacitas ingenii, ut vidimus, facultas eſt quæ nobis natura ineſt; quicquid fieri poteſt ad eam comparandam, ut hactenus locuti ſumus cum vulgo, huc redit ut frequenti exercitio uſum ejus facilem nobis faciamus. Videndum duntaxat, circa quæ objecta potiſſimùm exerceri queat.

8. Sunt objecta duplicis generis; quædam ſunt Mathematica, alia non poſſunt Mathematicè tractari. Mathematica ſunt quæcunque Methodo Geometrica, quam trademus, ubi de Syntheſi agemus, expendi queunt. Atque hujuſmodi ſunt omnia quæ poſſumus penitùs cognoſcere, hoc eſt quæcunque ad modos pertinent.

9. Conſideratione harum rerum, capacitatis ingenii uſum acquiri aiunt quicunque iis animum adpulerunt. Ac ſanè in Arithmetica (ut hoc exemplo utamur, ne omnes Matheſeos partes ſint expendendæ) multiplices objecti partes adeò diſtinctè notantur, adeò clarè percipiuntur, ut nullum ſit periculum ne confundantur, modò attentio adhibeatur. Præterea in ſupputatione, primùm tot objecta ſunt quot unitates; deinde unitatum certis collectionibus nomina quædam imponuntur, brevitatis cauſa, quæ tamen nullam confuſionem pariunt, quantavis ſit ea unitatum collectio, ut *centum*, *mille*, *centum millia*, *millio*, &c. Denique comparatio longa fit numerorum, quorum nunquam unicus conſideratur, ſed plures ſimul; nam ſi addas, aut ſubtrahas, aut multiplices, aut dividas, quo omnis Arithmetica redit, multiplex conſideratur numerus; niſi forte excipias numerum binarium,

qui

qui duabus unitatibus conſtat, ſed in cujus ſupputatione arte non eſt opus.

10. Dum itaque hæc ſupputandi ſcientia colitur, exercetur facultas multa ſimul intelligendi, & quidem diſtinctè, quam *capacitatem ingenii* appellamus. Nam ſemper revocandum in memoriam, capacitatem illam oportere cum diſtincta perceptione conjungi; inutilis enim eſt capacitas multa ſimul confusè intelligendi, ſiquidem ea ad inveſtigandam nihil prodeſt veritatem.

11. Alia ſunt, quæ Mathematicè expendi non poſſunt, qualia ſunt quæ pertinent ad ſubſtantias, vel, ut clariùs loquar, in quibus de ipſis ſubſtantiis agitur. Hic fruſtrà ſimus ſi in hiſce conſiderandis, capacitatis ingenii uſum acquirere ſperemus; etenim cum nec ſingulas ſubſtantias norimus clarè, multò minus ſubſtantiarum compagem clarè intelligemus. Hoc unum poſſumus, earum proprietates, & relationes quæ inter proprietates iſtas intercedunt, conſiderare.

12. Inde colligi poteſt, quod Philoſophi olim credidérunt ingenium, conſideratione Generum, & Specierum, in quæ diſtributæ ſunt ab iis ſubſtantiæ, quia eſt tantum incerta ignotorum objectorum diviſio, ut in prima Parte monuimus, capacius non fieri.

13. Sed præter iſta, eſt interdum conſideranda Modorum tanta copia, eorumque adeò tenuium, ut Geometrica methodo niſi longiſſimo tempore, quod nobis non ſuppetit, diſponi nequeant. Attamen recta de hiſce ferre judicia, multò magis quam de Mathematicis inveſtigationibus, noſtrâ intereſt. Hujuſmodi ſunt diſpoſitiones ingeniorum, & rerum ad vitam pertinentium; de quibus peritiſſimi Geometræ meliùs aliis non judicant, imò ſæpe pejùs. Quæritur exempli cauſa, an aliquod conſilium, ſeu cœptum felicem eventum ſit habiturum? In eo cœpto ſunt multiplices ideæ, quæ ad exitum, niſi multiplicibus admodùm viis, quæ pendent ex circumſtantiis innumeris, perduci nequeunt.

14. Qui aſſueti ſunt Mathematicis ideis, quæ facillimè à ſe invicem diſtinguuntur & animadvertuntur; ubi volunt,

ſunt, juxta notæ Artis regulas, de rerum publicarum aut domeſticarum adminiſtratione judicare, ineptiſſima ferunt judicia. Nimirùm, abſtractas tantùm poſſibilitates conſiderant, & in ſuis ratiociniis diſpoſitiones quaſdam rerum & animorum omittunt, quæ multiplicitate & tenuitate ſua ingenii aciem pænè fugiunt. Utplurimùm etiam evenit, ut qui rectè de hiſce judicant, de rebus Mathematicis inepta judicia ferant, aut eas difficillimas, quòd iis non ſint aſſueti, putent.

15. Quemadmodùm autem, ut Mathematicas quæſtiones intelligere & ſolvere queamus, ſunt eæ diſciplinæ excolendæ: ita, ut de iis quæ ad remp. aut familiam pertinent aliiſque ſimilibus rectè judicemus, poſſimuſque eas facilè animo complecti, vita ſic inſtituenda eſt, ut attenti ſimus ad omnia quæ eveniunt, & memoriæ diligenter quæ cernimus cum omnibus, quantùm fieri licet, circumſtantiis, mandemus. Sed quia paucis ſuppetit ſat longa experientia, ut eo reſpectu non eveniant eis quotidie plurima, quibus nulla ſimilia viderant; experientiâ aliorum, conſulendo peritos rerum, & legendo quam plurimas Hiſtorias, uti licet.

16. Si quis ergo velit ſibi capacitatem ingenii, cum ad theoretica, tum etiam ad res uſus quotidiani quod ſpectat comparare, eum oportet memorata omnia, ne in quibuſdam peritus in aliis ineptiat, conjungere. Vel ſi nequeat ſibi tantam animi capacitatem polliceri; ſaltem in iis, quæ maximè ſuâ interſunt, quam ampliſſimam judicandi facultatem adipiſci, cæteris omiſſis, conetur. Nam de uno rectè judicare poſſe, quam in omnibus vacillare, ſatius eſt.

Caput IV.

Methodi Analyticæ Leges.

1. Methodi Analyticæ leges lecturos oportet in memoriam quædam Axiomata, quæ ſunt harum Legum fundumenta, revocare. Primum eſt, quod ſuperiùs indicavimus plus

plùs ſemel: *In omnibus gradibus progreſſionum noſtrarum in ratiociniis, conſervandam eſſe evidentiam,* niſi velimus in erroris periculo perpetuo verſari.

2. Alterum eſt hujus conſequentia: *Debere nos de iis tantùm, quorum claræ menti noſtræ obverſantur ideæ; aut rebus obſcuris, quatenùs duntaxat ſunt nobis notæ, ratiocinari.* Unde colligere eſt omnia noſtra ratiocinia circa proprietates & modos ſubſtantiarum ideáſque abſtractas oportere verſari; non circa ſubſtantiarum intimam naturam, quæ obſcuriſſima eſt, quod antehàc ſæpius monuimus.

3. Tertium eſt: *Nos debere ſemper incipere à ſimplicibus & facilibus, & iis aliquandiu inhærere, priuſquam ad compoſita & difficilia progrediamur.* Prius enim ſunt percipiendæ ſimplices ideæ, quam compoſitæ; alioquin has nunquam ſat bene intelligeremus.

4. Atque hæc quidem generalia Axiomata ſunt, tam Syntheſeos, quam Analyſeos, principia; nam in utraque Methodo, ex æquo requiruntur evidentia in progreſſionis gradibus, delectus eorum circa quæ ratiocinamur, & ſimplicium cognitio antequam ad compoſita perveniamus, ut patebit ex ſequentibus. Verùm hæ ſunt Analyticæ Methodi peculiares Leges.

5. Prima eſt: *Perſpicuè intelligendum ſtatum quæſtionum propoſitarum.* Si nobis ipſis quærendum aliquid proponemus, tenendum diſtinctè animo quid quæramus, ne fruſtra per ea, quæ ad rem inveſtigatam nihil attinent, divagemur. Si ab aliis verbis quibuſdam proponatur, non priùs ejus ſolutionem aggredi nobis licet, quam conſtet perſpicuè quid ſingula vocabula, quibus expreſſa eſt, ſignificent.

6. Poſtquàm diſtinctè intelleximus quibus de rebus agatur, & jam ſunt ideæ quæ Quæſtione continentur comparandæ, altera Lex eſt: *Eſſe aliquo ingenii conatu retegendas unam aut plures ideas medias, quæ poſſunt eſſe inſtar menſuræ communis, cujus ope invenientur relationes, quæ intercedunt inter ideas comparandas.* Si quæratur, exempli cauſa, an prudenter fecerit Cicero, cum Antonium hoſtem Reip. à Senatu judicari curavit? Poſtquam factum ex Hiſtoria,

Urbis, ſequetur Urbem eâ eſſe majorem; ſi Fundamentum pars eſt Domûs, ſequetur à Domo magnitudine ſuperari Fundamentum, *&c.* Veritas judiciorum, quæ de rebus ipſis ex ideis abſtractis feruntur, pendet ex ſimilitudine rerum & idearum ejuſmodi abſtractarum; quæ ſimilitudo, ſi evidenter nota ſit, evidens etiam eſt Propoſitio quæ eâ innititur.

6. Expoſitâ Axiomatum naturâ, & origine, ut meliùs animo infigatur quid pro Axiomate haberi debeat, duæ Regulæ conceptæ ſunt, quibus continetur quicquid ad hanc rem pertinet. Prima eſt: *Quando ut perſpicuè videamus Attributum quodpiam Subjecto competere, quemadmodum videmus Toti competere ut ſit Parte ſua majus, opus eſt tantùm mediocri conſideratione Attributi & Subjecti, ita ut nequeant animo obverſari, quin animadvertatur idea Attributi connexa eſſe ideæ Subjecti; meritò Propoſitio, quâ hoc exprimitur, habetur inſtar Axiomatis.* Poteſt & brevius concipi: *Propoſitio quæ exprimit duarum idearum immediatam, ſine tertiæ ſubſidio, comparationem perſpicuam eſt Axioma.* Nam quando ex immediata duarum idearum comparatione clarè animadvertimus quandam relationem inter eas; demonſtratione, quæ tertiæ cujuſdam ideæ ſubſidio fit, non indiget.

7. Eſt autem probè diſtinguenda expoſitio vocum, à demonſtratione Axiomatis; nam licèt demonſtratione non indigeat, ſæpe expoſitione, apud eos qui voces quibus conceptum eſt non intelligunt, opus eſt. Exempli causâ, ſi apud Græcæ Linguæ ignarum dixerim: τὸ ὅλον τοῦ μέρους μεῖζον, licèt rem ſit illicò agniturus, tamen verba non intelliget, ideóque à me ea prius exponi neceſſe eſt. Ita etiam, in Lingua alioqui nota, plurima verba, quorum ſignificatio omnibus clara non eſt, & quæ ſunt explicanda uſus ignaris, occurrere poſſunt.

8. Altera Regula, oppoſita priori, his verbis concepta eſt: *Quando ſola conſideratio idearum Subjecti & Attributi non ſufficit ad perſpicuè deprehendendum Attributum Subjecto competere, Propoſitio, quâ hoc affirmatur, non poteſt Axioma haberi; ſed, adhibitis aliis ideis, debet demonſtrari.* Brevius

ſic

ſic tradi queat: *Omnis Propoſitio ad quam probandam adhibenda eſt tertia idea, præter Subjectum & Prædicatum, non eſt Axioma:* Vel: *Veritas, quæ non naſcitur ex immediata duarum idearum comparatione, non eſt Axioma.* Ita cùm dicimus tres angulos Trianguli eſſe æquales duobus rectis, ea Propoſitio non eſt *Axioma*, quia demonſtratione indiget ex comparatione tertiæ ideæ petita; nimirum, linearum parallelarum, quarum ope anguli Trianguli cum duobus rectis comparantur.

9. Haſce Regulas nunquam aut rariſſimè violant Geometræ, à quibus petitæ ſunt; ſed in aliis Diſciplinis paſſim negliguntur, ac conculcantur. Nihil frequentius, quàm Propoſitiones, quæ quaſi evidentes ſupponuntur, falſæ tamen, aut obſcuræ, vel ad minimum indigentes aliarum idearum collatione, ut earum veritas appareat, in aliarum Diſciplinarum Syntagmatibus occurrit.

CAPUT XII.

Exponuntur Regulæ Demonſtrationum.

1. IN recta Demonſtratione, duo requiruntur; unum ut omnes Propoſitiones quibus conſtat, ſeorſim conſideratæ, ſint veræ: alterum ut eæ quæ ex aliis per conſequentiam dicuntur ex iis neceſſariò fluant, ſeu ut conſequentia omnia in antecedentibus contineantur. Utrumque autem ſine dubio obtinebitur, ſi duæ Leges traditæ Cap. ix. accuratè obſerventur.

2. Propoſitiones omnes erunt veræ, ſi nullæ adhibeantur præter Definitiones, quæ non poſſint in litem vocari; aut Axiomata, quæ ſemper oportet eſſe evidentia; aut Propoſitiones jam demonſtratas, quæ demonſtratione extra omne dubium collocatæ ſunt; aut conſtructionem figurarum, ſi quæ ſint faciendæ, quæ per αὐτοψίαν veritatem nos docent. Igitur ſi priorem Legem in praxim revoca-

vocamus, omnes Propoſitiones quibus utemur, extra omnem dubitationis aleam erunt conſtitutæ; quoniam nihil aliud, præter enumerata, adhibere per Legem licet.

3. Conſequentiæ etiam rectè ducentur, ſi modò in ſecundam Legem, quæ ab omni vocabulorum ambiguitate cavere juber, non peccetur. Etenim vix quisquam mentis compos Propoſitionem aliquam ex alia ſequi, aut in alia contineri, ſi utramque plene intelligat, falſò crediderit. Falſæ conſequentiæ penè omnes nituntur verbis malè acceptis; ſi quæ enim aliæ ſunt, adeò ineptas eſſe primo intuitu apparet, ut nemo ſanus in eas incidat. Quicunque utetur Propoſitionibus, quarum vocabula reſpondent ideis diſtinctis, & duas ideas ope tertiæ diu ac diligenter compararit, in eo errare, ut putet eſſe inter eas relationem aliquam quæ non intercedat, non poterit. Si quis in manifeſta peccata, ubi nulla ambiguitas vocabulorum, nulla obſcuritas idearum occurrit, incidit, ei leges ratiocinii non ſcribuntur; neque enim ſani eſt cerebri, quod in omnibus, qui hæc ſtudia aggrediuntur, ſanum eſſe ſupponimus.

4. Atque has quidem Leges ſatis obſervant Geometræ, attamen in aliquot alias, quæ ordinem ſpectant & perſpicuitatem, ſæpenumerò peccant. I. *Paſſim probant aliquid eſſe verum, nec tamen rationem ejus veritatis quærunt.* Eorum quidem argumentis nihil eſt quod reponamus, ſed quia non intelligimus veritatum, quas probant, rationem, animus hæret, & vix demonſtrationi credere audet. Nimirum, ſi longior demonſtratio fuerit, ne aliquid aliquâ irrepſerit falſitatis veremur, cùm quomodo fieri queat ut quod probatum videtur verum ſit non capimus.

5. II. *Probant interdum ea quæ probatione non indigent.* Ita Euclides ſine neceſſitate demonſtravit duo latera Trianguli ſimul ſumpta eſſe majora tertio, quod ex ſola cognitione naturæ lineæ rectæ, quæ omnium breviſſima eſt inter duo puncta oppoſita, manifeſtum eſt. Ea nimirum omnia probatione non egent, quæ continentur Propoſitione aliquâ, cujus ideæ ſunt tantùm inter ſe compa-

ran-

randæ, ſine tertiæ ſubſidio, ut veritas aut falſitas Propoſitionis retegatur.

6. III. *Demonſtrant paſſim ab impoſſibili.* Non retegunt Propoſitionis cujuspiam Principia, ut eam oſtendant eſſe veram aut falſam; ſed oſtendant tantùm, ſi aliquid eſſet verum aut falſum, inde ſequi aliquid impoſſibile. Hoc autem non prorſus animo veritatis cognoſcendæ avido ſatisfacit; cupit enim, ut modò dicebamus, ſcire quî fiat ut aliquid ſit verum aut falſum. Itaq; ejuſmodi demonſtrationes adhiberi, niſi ubi aliæ tradi nequeunt, non oporteret.

7. IV. *Demonſtrant per rationes nimis procul petitas.* Modò ſint argumenta vera, parum curant unde ſint deſumpta; cùm tamen nullum delectum habere argumentorum, & è longinquo petere quod propè eſt, incommodum ſit.

8. V. *Ordinem, quo generaliora & ſimpliciora ſpecialibus & compoſitis præponi neceſſe eſt, negligunt.* Modò demonſtrationes ſuæ ita ſint inter ſe diſpoſitæ, ut poſteriores ex prioribus manent, nullum alium quandoque morantur ordinem. Unde fit ut quod ad unum argumentum pertinet, uno loco non abſolvant; ſed prout hoc per inviolabilem demonſtrationis ordinem licet, quod moleſtiſſimum eſt, proferant. Atque hoc peccatum, ab Euclide admiſſum, jam plurimi ex recentioribus Geometris feliciter emendarunt.

9. VI. *Diviſiones & partitiones eo quo oportet ordine non adhibent.* Proponunt quidem in definitionibus varias ſpecies generum, quæ tractare aggrediuntur; ſed non ita ut dicant tot eſſe genera, quæ in tot ſpecies dividantur, de quibus ſint poſtea acturi, quod tamen commodiſſimum eſt.

10. Atque hiſce quidem ampliùs non immorabimur, quia hæc à nobis attingi, niſi quatenus ad omnes Diſciplinas pertinent, Logicæ inſtitutum non patitur. Hoc duntaxat inde colligemus eos qui alias Diſciplinas tradunt, cavere ſibi oportere ne Geometras, in eo quod vitioſum eſt, quod ſæpe tamen evenit, imitentur. Plurimi Veteres

ac

ac Hodierni Scriptores hoc unum ut quod dicerent verum eſſet, cæteroquin ordinis prorſus ſecuri, curarunt, quaſi perinde eſſet quocunque modo res collocarentur; & reliqua admiſerunt peccata, quæ meritò in Geometris notantur.

11. At multò plures, cùm hæc peccata nequaquam fugerint, id quod in Geometrarum methodo rectum eſt non obſervarunt. Voluerunt quidem Syntheticâ methodo uti, ſed adeò ejus Regularum fuere imperiti, ut vix unam obſervarint. Terminos rarò definiunt, in definitionibus obſcuriſſima vocabula uſurpant; ſupponunt quaſi notas res prorſus ignotas, ſæpe & falſas; in probandis opinionibus ſuis, neque conceſſa, neque clara adhibent quaſi comperta; ambiguitate vocabulorum paſſim aburuntur. Ne exempla diu ſint quærenda, Philoſophi, & Theologi Scholaſtici, qui in unaquaque pagina laudatiſſimas haſce Regulas conculcant, effecêre.

12. Verùm hoc eſt animo infigendum, ubicunque adhibetur Synthetica Methodus, eam eò præſtantiorem eſſe, quò eſt Geometrarum Methodo vicinior, (exceptis tamen memoratis vitiis) eo deteriorem, quò ab ea magis recedit. Cujus rei ratio manifeſtò ex ipſis omnis ratiocinii recti fundamentis petita eſt; ut neceſſe non ſit pluribus rem exponere, poſtquàm Methodum Syntheticam explicuimus.

13. Hoc tamen non ita intelligendum, ut neceſſariò prorſus obſervari in ſcriptione ſtylum, & ordinem Geometrarum velimus, adeò ut Definitiones initio ponantur, ab omni ratiocinio ſejunctæ; dein Axiomata, eodem modo, ab omnibus aliis divulſa deſcribi; poſtremò omnia in argumenta tribus Propoſitionibus conſtantia digeri, eodemque compendio verborum utendum ac Geometræ ſolent. Non aſſuetis ea Methodus durior & difficilior videtur. Præterea non poſſet, ſine prolixitate nimia, obſervari; nam, ut in ſequentibus nihil dicatur quod ex anterioribus non probetur, ubi paulò major rerum conſideranda eſt copia, ingenti circuitu, ut Principia neceſſaria colligantur, utendum neceſſariò eſt. At ita de-

ben

bent omnia concipi, ut in eam Methodum quæ quaſi indubitata proponuntur redigi queant, ſi neceſſe ſit.

14. Fatemur quædam eſſe in variis Diſciplinis, quæ nequeunt Geometricè proponi; ſed eadem nequeunt evidenter demonſtrari, ideóque earum Diſciplinarum fruſtra conemur perfecta cudere Syſtemata, aut ab aliis expectemus. Ejuſmodi ſunt Theologia & Phyſica, inter alias. Verùm quæ certo in iis Diſciplinis novimus poſſunt Syntheticè proponi, & ſi neceſſe ſit Geometrico ordine enunciari; reliqua fatendum eſſe dubia, neque quaſi comperta Lectoribus obtrudenda.

CAPUT XIII.

Quare in aliis Diſciplinis raræ occurrant Demonſtrationes, quæ in Mathematicis ſolæ adhibentur.

1. HAud ſemel quidem in iis, quæ hactenus de utraque Methodo diximus, aut Philoſophorum culpâ, aut obſcuritate argumentorum quæ excutienda ſuſcipiunt, raras in eorum Scriptis occurrere demonſtrationes ſeu probationes, quæ Syntheticæ Methodi inflexum rigorem ferre queant, indicavimus. At ea res, cui ſingulare Caput attribueremus digna viſa eſt, quia dum rationes quærimus cur tot Propoſitiones, nequaquam per ſe evidentes aut evidentibus nixæ, quaſi veræ admittantur, animum ad negandum obſcuris aſſenſum faciliùs aſſuefaciemus. Igitur ejus rei rationes ſparſim atque obiter in ſuperioribus indicatas, aut intactas prorſus hîc collectim & accuratiùs trademus.

2. Primò, Mathematicæ Diſciplinæ circa ideas claras, & diſtinctas verſantur, nec de ulla re agunt cujus naturam perfectè aſſequi nequeamus. Numeri & lineæ ac figuræ, quæ cuivis magnitudini à Geometris applicantur, ideæ ſunt abſtractæ, adeóque adæquatæ, ut ſæpiùs antehac dixi-

diximus. In aliis verò Diſciplinis, agitur de ideis ut plurimùm admodum compoſitis, & quarum partes aut ignotæ ſunt, aut ægrè enumerari poſſunt, ac proinde obſcuris. Ut exempla inveniantur, aperienda ſunt Theologorum, Juriſconſultorum, Phyſicorum aut Medicorum Syntagmata. Atque hinc factum ut tam acres inter eos ſubinde ortæ ſint controverſiæ, quæ inter Geometras multò rariores ſunt.

3. Secundò, Mathematici ideas ſuas nominibus propriis, adæquatis, & invariatæ ſignificationis efferunt; adeò ut qui ſemel voces quibus uti ſolent intellexit illico, auditis eorum verbis, quid ſibi velint plenè aſſequatur; ac proinde an quod demonſtrandum ſuſceperunt probarint, videat. In aliis verò Diſciplinis, nomina parùm commoda, rem partim exprimentia, dubia, atq; incertæ notionis paſſim occurrunt; unde fit ut legentes aut audientes, nec quid probandum ſuſcipiatur, nec quid probetur ſatis aſſequi poſſint. Hinc innumeræ naſcuntur λογομαχίαι, & dubitationes, quæ non aliter ſedentur, quàm ſi, quantùm poteſt, ad Geometrarum in loquendo ἀκριβείαν accedamus.

4. Tertiò, Geometræ nulla adhibent Principia, aut Axiomata, quæ non ſint univerſaliter vera, communique omnium ſuffragio conceſſa; adeò ut quæ inde, neceſſariâ conſequentiâ, colliguntur, aſſenſum ineluctabilem intellecta extorqueant. At in aliis Artibus, Propoſitiones, quæ ad alias ex iis deducendas ſupponuntur, paſſim oppugnari exemplis contrariis poſſunt; unde ne quaſi falſæ rejiciantur, exceptionibus, ac limitationibus muniuntur. Interdum etiam non perſpicuitate ſuâ, ſed conſuetudine; quia pudet iis negare aſſenſum, quæ à Magiſtris conſecrata ſunt, perſuadent. Nemini ergo ex ejuſmodi Propoſitionibus nullam manifeſtam, indubitatam, ac univerſaliter veram deduci conſequentiam, mirum videri poteſt.

5. Quartò, Geometræ præter Definitiones, aut Axiomata propriè dicta, interdum quidem ſibi aliquid concedi,

* *Hæc partim debemus Viro ſummo* Iſaaco Barrow, *qui Propoſitam quæſtionem agitat Prælectione Mathem.* IV. *Anni* 1664.

di, ſine demonſtratione, petunt, aut aliquid ejuſmodi ſupponunt, brevitatis causâ; ſed Poſitiones illæ aut Hypotheſes ſunt faciles in ſe, perſpicuæ, atque in promptu; adeò ut, ſine diſputandi libidine, negari nequeant. Exempli causâ, ut duo puncta dentur; ut inter ea ducatur, aut ducta ſupponatur, recta linea; ut punctum quodpiam datum in centrum aſſumatur, & circa id circumducto in orbem filo circulus deſcribatur, *&c.* poſtulant, quæ nemo non illicò, atque ultrò largitur. Verùm in aliis Diſciplinis quot obſcuriſſima, aut difficillima factu, imo interdum impoſſibilia, quaſi clara, proclivia, & poſſibilia credi poſtulantur? Quidam Theologi à Deo ita *omnia* fieri poſſe, ut ne contradictoria quidem excipiantur, concedi ſibi inverecundè poſtulant. Alii Deum eſſe omnium actionum, ne malis quidem exemptis, auctorem, nec tamen cauſam peccati dici poſſe, quaſi rem intellectu facilem, aut leve incommodum, ſupponunt.

6. Quintò, Mathematici non modò evidentiam & manifeſtam poſſibilitatem in Axiomatibus & Poſtulatis requirunt; utrorumq; exiguam copiam adhibent, & in Poſtulatis præſertim parciſſimi ſunt. Quemvis exantlare malunt in demonſtrando laborem, quodvis tædium devorant potiùs; quàm aut gratuitum aſſenſum emendicent, aut auditorum in negando frontis mollitie abutantur. Quæ ſibi concedi volunt ſeorſim exprimentes, apertè & candidè cum Lectore agunt; non ejus aſſenſum velut ſurripiunt. In aliis autem doctrinis, innumera ferè proponuntur Axiomata, Poſtulatorúmque vix ullus eſt modus, dum veriſimilis quævis aut non prorſus impoſſibilis Propoſitio, quaſi jure concedenda, ſupponitur. Hypotheſes novæ paſſim, prout res requirit, adhibentur, ut vix Caput ullum, ſine novis aliquot Hypotheſibus, conſcribatur. Neque hæ diſertè & perſpicuè proponuntur, ut intelligat Lector quid concedi poſtuletur; ſed furtim, & verbulo interdum uno aut altero eóque ambiguo, orationi, & quaſi dudum conceſſæ, inſeruntur. Qui ita ſe gerunt exemplar, ad quod ſe componant, ſibi videntur eos propoſuiſſe, qui fœderum verba in ſuam rem flexuri inſeri quædam

ad

adverſariis non ſatis attentis, quæ pro ſe interpretaturi ſint, quaſi aliud agentes petunt. Quod poſtquam obtinuerunt, ubi ad finem perventum eſt, conſequentias maximi momenti ex vocibus, quæ temerè inſertæ videbantur, cum ſumma audientium aut legentium, qui eas non obſervatas prætermiſerant, admiratione deducunt. Ita Theologici quidam, poſtquam obiter *Sacerdotes Dei nomine apud homines loqui* dixerunt, quod à Lectoribus negatum στοτόμως ſibi non iri ſatis ſciunt; inde, multis aliis ſubjectis & permixtis, tandem Sacerdotibus reſiſtere perinde eſſe ac Deo bellum inferre, concludunt, adverſariósque invidioſiſſimè traducunt.

5. Sextò, generationes figurarum, quibus generationibus ad figuras definiendas quandoque Geometræ utuntur, & ex quibus harum deducunt proprietates, facillimè intelligimus. Exempli causâ, fili puncto immoto alligati circumductu circulum fieri, atque inde ſequi circumferentiam undequaque à centro æqualiter diſtare, radiósve circuli omnes eſſe æquales aiunt; quæ pleniſſimè aſſequimur. Et generatio ipſa, & quæ inde deducuntur intellectu facillima, & indiſſolubili nexu connexa ſunt. Eadem non eſt aliarum Scientiarum ratio, in quibus rerum, de quibus agunt, neque generatio, neque proprietates aut φυσόμενα uſque adeò nota ſunt. Quis dixerit, exempli gratia, quomodo procreata ſit materia, ſeu corpora, & quæ diſpoſitio Univerſi inde oriri potuerit? Nihil pænè præter conjecturas, graviſſimis incommodis obnoxias, ut exemplo conſtat R. Carteſii, qui hoc auſus eſt, in medium affertur.

8. Septimò, ordo Mathematicorum Syntheticus unicus eſt ex quo vis Demonſtrationum animadverti queat, ut ex iis quæ de eo diximus ſatis liquet. In aliis verò Diſciplinis, ſecùs plerumque accidit. Principia in eorum Syntagmatibus ſi quæſiveris, aut nuſquam invenies, aut concluſionibus etiam remotiſſimis permixta deprehendes. Propoſitionum ipſarum aut nullum ordinem, aut exiguam admodùm connexionem reperies. Multa à Lectoribus ſuppleri opportere, quæ cùm nuſquam dicantur, nexui

tamen planè neceſſaria ſunt, videbis. Hinc fit ut per ſingularum Progreſſionum gradus ab infimo ad ſummum aſcendere, ſeu Propoſitionum originem ad Principia uſque perſequi, ac proinde, an quod erat demonſtrandum rectè probatum ſit cognoſcere, nequeamus.

9. Octavò, Geometræ ea tantùm quæ ſibi perſpecta ſunt, attingunt, ignota aut incerta prorſus prætereunt. Non miſcent demonſtratis veriſimilia, claris obſcura; nec eos pudet ignorationem rerum quas non expenderunt fateri, atque intra arctiſſimos limites cognitionem ſuam arctari agnoſcere. Qui verò alias Artes profitentur, dubia compertis, manifeſtis obſcura implicant. Innumeras omnis generis Propoſitiones diſcutiendas, quamvis levibus tantùm conjecturis inſtructi ſint, ſuſcipiunt. Quod in Phyſices, Medicinæ, Theologiæque Syſtematibus paſſim videre eſt.

10. Nonò, cùm demonſtrationibus tantùm, omni verborum fuco, omnibuſque externis ad perſuadendum adminiculis omiſſis, utantur Geometræ: alii quod probare nequeunt ſtudent perſuadere. Conjecturas ſuas quàm poſſunt eloquentiſſimè in medium proferunt, & fallacibus Veriſimilitudinis fundamentis, quæ in *P.* 11. *Cap.* ix. §. 14. *& ſeqq.* ſubruimus, innituntur. In Theologia, exempli cauſa, tantis affectibus res agitur, ut vix unquam ſine periculo libera de Dogmatibus judicia proferre licuerit. In partes dudum itum eſt, & quævis factio terrore & minis ſua placita muniit. Hinc factum ut non ſpernenda ingenia à Religione ipſa Chriſtiana, quæ ſi ſibi permitteretur ſuâpte luce animos hominum ſuo Auctori facilè conciliaret, aliena fiant, quanquam præ metu fingunt ſe ei addictiſſimos eſſe; nec ejus quicquam obſervent præter id quod, in factione in qua vivunt, obſervaſſe conducit. Sed hæc mala, ut obſervatu facillima: ita curatu difficillima ſunt.

Tertiæ Partis Logicæ Finis.

LO-

LOGICÆ
PARS QUARTA.
De Argumentatione.

CAPUT I.
De Natura, Partibus & Generibus Argumentationis.

1. CUM veritas non tantùm nobis ipſis, ſed ut ejus participes alios faciamus, quæratur; ſatis non eſſe, ſi traderent ejus inveniendæ Regulas, niſi quâ ratione aliis, etiam pertinacibus, probari poſſit oſtenderent, Philoſophi judicarunt. Verùm ut quod res eſt profiteamur, nulla melior videtur probandæ veritatis via, quàm ſi ii quibus ignota eſt, per eundem tramitem, per quem ad eam pervenimus, deducantur. Hoc pacto non modò iis os obturatur, ne eam oppugnare queant; ſed etiam luce veritatis Mens, ut principia ejus intelligant, illuſtratur; quæ perſuaſio multò efficacior eſt alterâ illâ, quæ vulgari argumentatione creatur, quæque eo tantùm nititur fundamento, quòd quicquid juxta certas Regulas probatur verum ſit, licèt quare verum ſit ignoretur. Hujus, nimirum, Artis inventores eam totam, non ad inventionem Veri, aut ejus propagationem; ſed ad diſputationem extem-

temporaneam, in qua victoria, ex ſilentio adverſarii, unicè quæreretur, compararunt.

2. Nos quidem Sophiſticum hujuſmodi inſtitutum non probamus, ſed quia per plura invaluit ſæcula, & aliquando res homini, alioqui Sophiſtices minimè amanti, poteſt eſſe cum ejuſmodi vitilitigatoribus, neceſſe eſt ſaltem principia Artis noſſe; ne Sophiſtæ de nobis triumphent, ea tantùm de cauſa, quòd eorum Artis ignari ſimus. Præterea Canones argumentationis qui traduntur, cum ſint veri, poſſunt ingenio exercendo inſervire, quamvis non magni cæteroquin uſûs; modò ne ejuſmodi contemplationibus nimiùm indulgeamus.

3. Propoſitio, quæ probanda, vel oppugnanda eſt, vocatur à Dialecticis *Quæſtio*; in qua cùm ſit ſubjectum & prædicatum, prius *minorem terminum*, poſterius *majorem*, ambo ſimul *extrema* vocant. Si ſit hæc quæſtio, utrùm *Deus ſit natura intelligens?* vox *Deus* minor terminus, *natura* verò *intelligens* major eſt.

4. Quandoquidem non argumentamur de rebus per ſe manifeſtis, termini tunc non poſſunt, ut fit in Propoſitionibus evidentibus, immediatè inter ſe comparari. Ideò adſciſcitur tertia idea, quæ *terminus medius*, vel *medium* vocatur. Si probanda ſit Propoſitio allata, quærenda eſt tertia idea, quæ cum utroque termino comparetur; ex qua comparatione inter eos eſſe neceſſariam connexionem colligamus. Hoc poſſit eſſe Medium, *aliquid ordine diſponere*, & ita concipi Ratiocinium:

Diſponere ordine eſt naturæ intelligentis;
Atqui Deus mundum ordine diſpoſuit;
Ergo Deus eſt natura intelligens.

5. Duæ priores Propoſitiones vocantur *præmiſſæ*, quod *Concluſioni*, quæ eſt tertia, præmittantur. Prima dicitur *major*, quia in ea major terminus cum medio; ſecunda *minor*; quia in ea terminus minor cum eodem medio confertur. Non poſſunt autem plures eſſe termini hiſce tribus, in uno ratiocinio, tribus conſtanti Propoſitionibus; ubi duæ ideæ comparantur, accedente tantùm

tùm tertia. Si idea, quæ comparatur cum minore termino, non eſſet eadem quæ cum majore confertur, non poſſet oſtendi quæ ſit relatio inter majorem & minorem terminum, niſi quænam ſit inter duas ideas medias, quod non poteſt unico trium Propoſitionum ratiocinio fieri, monſtraretur. Exempli gratia, ineptum eſſet hoc ratiocinium:

Diſponere mundum ordine eſt naturæ intelligentis;
Atqui Deus creavit mundum;
Ergo Deus eſt natura intelligens.

Hic enim ſunt duo Media *diſponere mundum ordine* & *creare mundum*. Nemo quidem ſani cerebri peccat in hanc Regulam, ubi duo Media ſunt diverſis vocibus expreſſa; ſed ubi vox, quâ Medium exprimitur, ambigua eſt, & peccatur in hanc legem, & decipiuntur incauti.

6. Ex allato exemplo liquet rectum ratiocinium non poſſe fieri paucioribus, quàm tribus Propoſitionibus, quia Medium debet ſemel cum utroque termino comparari. Sed poſſunt hæ Propoſitiones exprimi omnes, quod cum fit vocatur ratiocinium à Dialecticis *Syllogiſmus*; vel poteſt minor aut major ſubintelligi, & tum vocatur *Enthymema*: ut, *Deus ordine mundum diſpoſuit*; *Ergo eſt natura intelligens*. Subintelligitur hic major: *diſponere ordine eſt naturæ intelligentis*.

6. Sed poſſunt eſſe, in longiori ratiocinio, multò plures Propoſitiones; quando enim idea aliqua non ſufficit ad oſtendendam, quæ eſt inter terminos, relationem; poſtquam eam cum uno comparavimus, ad aliam ideam confugimus, & ſic deinceps. Tum ratiocinium vocatur *Acervus* vel *Sorites*, quòd veluti coacerventur Propoſitiones. Ita ſi velim probare Mundum initium habuiſſe, ſic potero ratiocinari: *Mundus eſt corporeus*;

Quæ corporea ſunt non poſſunt ſemetipſa movere;
Quæ non poſſunt ſemetipſa movere, & moventur tamen, mota ſunt ab alio;
Quæ motum acceperunt ab alio initium habuerunt;
Ergo mundus initium habuit.

Verùm hæc omnia ratiocinia, quotcunque Propoſitionibus conſtent, ad Syllogiſmorum formam reduci poſſunt.

7. Cæterùm Syllogiſmi ſunt aut *ſimplices*, aut *conjunctivi*. Simplices dicuntur ii, in quibus Medium cum altero tantùm terminorum ſimul comparatur. Atque hujuſmodi eſt argumentum ſupra §. 4. allatum. Conjunctivi vero appellantur Syllogiſmi, in quibus Medium cum utroque termino ſimul, in alterutra Propoſitionum, confertur; ut in hoc:

Si Deus eſt æternus, poteſt homines æterna beatitudine donare;
Atqui Deus eſt æternus;
Ergo Deus poteſt homines æternâ beatitudine donare.

Deus enim, & *poteſt æternâ beatitudine donare*, quæ ſunt ſubjectum & attributum Concluſionis, conjunguntur, in majore Propoſitione, cum voce *æternus*, quæ Medium eſt.

8. Syllogiſmi ſimplices poſſunt rurſus in *complexos* & *incomplexos* dividi. Poſteriores habent Concluſionem conſtantem terminis incomplexis, priores contrà conſtantem complexis. Sed quoniam, ſi rectè Syllogiſmus complexus intelligatur, poteſt ad incomplexi formam reduci, non opus eſt de eo ſeparatim agamus.

CAPUT II.

Regulæ Generales Syllogiſmorum.

1. QUI audiunt aliquem ratiocinantem de rebus ipſis perſpectis, & intelligunt linguam quâ utitur; ſi modo ſani ſint cerebri, & qui loquitur obſcuritatem non captet; nullis Regulis, ut videant an conſequenter ratiocinetur nec ne, indigent. Rei cognitio & attentio ad

anim-

animadvertendum ratiociniorum nexum, ſeu vérum ſeu falſum, ſufficiunt. At veteres Philoſophi, qui Diſcipulos ſuos, de rebus etiam quas ignorarent, diſputare docere aggreſſi ſunt, quæſiverunt Regulas, quarum ope, ex verborum ſolorum ſtructura, an rectè ratiocinarentur, an ſecùs, ſi fortè in eas peccarent, ii quibuscum res ipſis eſſet, cognoſcerent. Regulas illas non eodem animo, ſed quia veræ ſunt, & cum ejuſmodi hominibus interdum uſui eſſe poſſunt, exponemus.

2. Harum Regularum fundamenta ſunt tria Axiomata, quæ iis nituntur, quæ diximus P. II. de Propoſitionibus Affirmativis & Negativis, Univerſalibus & Particularibus.

Primum eſt, *Propoſitiones Particulares contineri in Univerſalibus ejuſdem naturæ, non Univerſales in Particularibus.* I continetur in A, & O in E, non vice versâ A in I, & E in O.

Alterum eſt, *prout ſubjectum Propoſitionis particulariter aut univerſaliter ſumitur, Propoſitionem eſſe Univerſalem aut Particularem.*

Tertium eſt, *cum Attributum Propoſitionis affirmativæ nunquam latius ſubjecto pateat, id ſumi particulariter, quia nonniſi per accidens univerſaliter ſumitur.*

3. Prima Regula ſic habet: *Medium debet ſemel ſaltem univerſaliter ſumi, non bis particulariter.* Scilicet, Medium, cum ſit tertia idea, quæ comparatur cum terminis concluſionis, unde colligitur relatio quæ inter eos eſſe poteſt, debet cum utroque termino comparari eodem reſpectu. Alioqui ſi variis reſpectibus comparetur, nihil certò poteſt inde colligi; nam poteſt Medium certo reſpectu habere aliquam relationem cum termino majore; aliam cum minore, alio reſpectu. Diverſi illi reſpectus, quibus eſt aliqua relatio Medio cum extremis, quæ ſit iis inter ſe relatio non docent. Conſiderantur autem varii reſpectus extremorum cum Medio, qui reſpectus nihil commune inter ſe habent, ubi Medium bis particulariter intelligitur. Exempli causâ, ſi hoc utar argumento:

Aliquis homo eſt pius ;
Aliquis homo eſt latro ;
Ergo aliquis latro eſt pius.

Medium *aliquis homo* particulariter utrobique ſumitur, tam in majore quam in minore, nec quidquam inde concluditur. Nam *homo*, quæ eſt idea media, certo reſpectu eſt *pius*, hoc eſt, eorum qui præceptis divinis parent reſpectu. *Homo*, alio reſpectu, nempe aliquot perditorum, eſt *latro*. Idea autem hominis variis reſpectibus cum duabus ideis *latro* & *pius* collata, non oſtendit quid relationis hiſce interſit. Idem hìc fit ac ſi quis dicturus an duæ perticæ æquales ſint, necne, uteretur menſuris variis, & reponeret tot eſſe certas menſuras in una, tot alias in altera. Quid ſibi vellet ſciri non poſſet, niſi menſuræ inter ſe immediatè, aut accedente tertiâ, componerentur.

4. Hæc eſt ſecunda Regula: *Termini Concluſionis non poſſunt univerſaliùs ſumi in Concluſione, quàm in præmiſſis.* Hujus Regulæ veritas nititur Axiomate primo, quo univerſalia particularibus includi negantur. Hinc Logici varias conſequentias deducunt, quæ ad Theoriam potiùs quàm ad praxin pertinent, quáſque ideò omittemus.

5. Tertia Regula ita concipitur: *Ex duabus Propoſitionibus Negativis nihil concluditur.* Duo termini de idea tertia cùm negantur, idem eſt ac ſi negaremus ullam eſſe inter medium & extremos terminos relationem; unde ſequitur Medium illud non eſſe aptum ad retegendam relationem, ſi quæ eſt, inter terminos propoſitos. Ita ſi velim probare, *Hiſpanos non eſſe ſuperbos*, & ſic ratiocinet:

Hiſpani non ſunt Turcæ ;
Atqui Turcæ non ſunt ſuperbi ;
Ergo Hiſpani non ſunt ſuperbi.

Malè ratiocinabor. Verùm ejuſmodi error à nemine committitur, niſi ratiocinium ſit valdè complexum ac compoſitum, ut partes ejus ægrè diſtinguantur.

6. Quarta Regula: *Ex duabus Propoſitionibus affirmativis*

tivis non poteſt negativa concluſio colligi. Nam duo termini affirmativè cum medio conjuncti, non poſſunt, per negationem, in Concluſione, ſeparari.

7. Quinta Regula: *Concluſio ſemper ſequitur deteriorem partem.* Deterior pars, reſpectu affirmativæ Propoſitionis, eſt negativa; reſpectu univerſalis, particularis. Itaque ſi alterutra præmiſſarum erit negativa, ejuſmodi quoque Concluſio erit: ſi particularis, erit Concluſio particularis. Nempe, ſi media idea, cujus ope duas extremas connecti oporteret, ſi inter eas connexio foret, negetur de alterutra, non poſſunt affirmatione, ope ejus ideæ mediæ, inter ſe conjungi. Si particularis ſit una ex præmiſſis, inde non poteſt deduci univerſalis concluſio, juxta Axioma primum; nam Concluſio ex æquo ex utraque præmiſſa deducitur, non ex altera tantùm.

8. Ultima Regula ſic concepta eſt: *Ex duabus particularibus nihil colligitur*; cujus Regulæ eadem eſt ratio ac primæ. Hæc non executiemus ſubtiliùs, quòd ſint exigui admodum uſûs, & alibi rationes harum Regularum fuſè expoſitæ inveniri ab iis, quibus hæc placebit inveſtigatio, poſſint.

Caput III.

De Figuris & Modis Syllogiſmorum in genere, ac de prima Figura ſpeciatim.

1. Conſtitutis Syllogiſmorum Regulis, *Dialectici* eorum *Modos* & *Figuras* tradunt. *Modos* diſpoſitionem Propoſitionum, juxta eorum univerſalitatem & particularitatem, quæ notantur literis A, E, I, O: *Figuras* verò diſpoſitionem trium terminorum, ſeu medii cum ſubjecto & prædicato Concluſionis combinationes varias, vocant.

2. Demonſtrarunt iidem Dialectici eſſe tantùm decem

Modos, in quibus Regulæ ſupra allatæ obſervari poſſint; ſed quoniam hoc meræ eſt ſpeculationis, indicaſſe ſatis erit. Prædicatum verò & ſubjectum Concluſionis poteſt quadrupliciter cum Medio combinari, in præmiſſis. I. Medium poteſt eſſe *ſubjectum in majore, & attributum in minore*, quod facit primam Figuram: II. *Eſt Attributum in majore & minore*, quod ſecunda Figura dicitur: III. *Eſt ſubjectum in utraque*, quæ combinatio tertiam Figuram conſtituit: IV. *Eſt attributum in majore, & ſubjectum in minore*, unde quarta naſcitur Figura.

3. Figurarum harumce ſunt certæ Regulæ, & certi Modi; quæ ſimpliciter referemus, non additis rationibus, quæ cum alibi, tum in Gallica Logica, quæ *Portus-Regii* dicitur, inveniri poterunt. Iſta enim ſunt merè theoretica, adeóque exigui uſûs.

4. Figuræ primæ duæ ſunt Regulæ: 1. *Minor debet eſſe affirmativa:* 2. *Major univerſalis.*

5. Quatuor ſunt in ea Modi, qui ſolent exprimi vocibus fictitiis *Barbara, Celarent, Darii, Ferio*, in quibus ad vocales tantùm, quæ, ut diximus, univerſalitatem ac particularitatem ſignificant, attendendum.

6. BAR- *Omnis* A *eſt* B;
BA- *Omnis* C *eſt* A;
RA. *Ergo omnis* C *eſt* B.

7. CE- *Nullus* A *eſt* B;
LA- *Omnis* C *eſt* A;
RENT. *Ergo nullus* C *eſt* B.

8. DA- *Omnis* A *eſt* B;
RI- *Aliquis* C *eſt* A;
I. *Ergo aliquis* C *eſt* B.

9. FE- *Nullus* A *eſt* B;
RI- *Aliquis* C *eſt* A;
O. *Ergo aliquis* C *non eſt* B.

10. Fa-

10. Facilè poſſunt hi Syllogiſmi cum Regulis conferri, unde uno intuitu Regulæ veritas liquebit. Propterea obſervavimus ut eædem literæ eundem ubiq; uſum præſtarent, Medii, aut Extremorum. Hoc commodius viſum, quàm ſi vocibus aliquid peculiare ſignificantibus terminos expreſſiſſemus; quia res hîc in conſiderationem non veniunt, ſed tantùm forma argumentorum. Philoſophi utuntur exemplis ſcatentibus vocibus obſcuris, quales ſunt *Animal*, *Vivens*, *Senſibile*, &c. quæ licet tantùm exemplis formandis inſerviant, tamen ita paulatim animo tyronum inſeruntur, ut hi tandem ſe aliquid intelligere in eo quod nullatenus intelligunt, exiſtiment.

CAPUT IV.

De Regulis & Modis trium reliquarum Figurarum.

1. SEcundæ Figuræ hæ ſunt duæ peculiares Regulæ: 1. *Alterutram Præmiſſarum oportet eſſe negativam, ac proinde etiam Concluſionem, juxta VI Regulam generalem:* 2. *Major debet eſſe univerſalis.*

2. In hac Figura ſunt tantùm quatuor Modi, juxta quos aliquid concludi queat, quique exprimuntur technicis vocibus, *Ceſare*, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco*. Horum hæc ſunt exempla.

3. CE- *Nullus* D *eſt* E;
SA- *Omnis* F *eſt* E;
RE. *Ergo nullus* F *eſt* D.

4. CA- *Omnis* D *eſt* E;
MES- *Nullus* F *eſt* E;
TRES. *Ergo nullus* F *eſt* D.

5. FES-

5. FES- *Nullus* D *eſt* E;
TI- *Aliquis* F *eſt* E;
NO. *Ergo aliquis* F *non eſt* D.

6. BA- *Omnis* D *eſt* E;
RO- *Atqui aliquis* F *non eſt* E;
CO. *Ergo aliquis* F *non eſt* D.

7. In tertia Figura, primò *Minor debet eſſe affirmativa:* 2. *Concluſionem oportet eſſe particularem.*

8. In eadem ſex ſunt Modi, hiſce vocabulis ſignati: *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

9. DA- *Omnis* G *eſt* H;
RAP- *Atqui omnis* G *eſt* I;
TI. *Ergo aliquis* I *eſt* H.

10. DI- *Aliquis* G *eſt* H;
SA- *Atqui omnis* G *eſt* I;
MIS. *Ergo aliquis* I *eſt* H.

11. DA- *Omnis* G *eſt* H;
TI- *Atqui aliquis* G *eſt* I;
SI. *Ergo aliquis* I *eſt* H.

12. FE- *Nullum* G *eſt* H;
LAP- *Atqui omnis* G *eſt* I;
TON. *Ergo aliquis* I *non eſt* H.

13. BO- *Aliquis* G *non eſt* H;
CAR- *Atqui omnis* G *eſt* I;
DO. *Ergo aliquis* I *non eſt* H.

14. FE- *Nullus* G *eſt* H;
RI- *Atqui aliquis* G *eſt* I;
SON. *Ergo aliquis* I *non eſt* H.

15. Quartæ Figuræ, quæ obliquiſſima eſt probandi ra-

ratio, & ad quam rarò devenitur, hæ ſunt regulæ tres: 1. *Quando major eſt affirmativa, minor ſemper eſt univerſalis*: 2. *Quando minor eſt affirmativa, concluſio eſt ſemper particularis*: 3. *In modis negativis majorem univerſalem eſſe oportet.* Reverà hæc Figura eſt tantùm inverſio primæ; nam cùm in prima Medium ſit ſubjectum in majore, attributum in minore, in quarta idem Medium eſt attributum in majore, ſubjectum in minore.

16. Sunt autem hujus quinque modi, *Barbari, Calentes, Dibatis, Feſpamo, Freſiſom.*

17. B A R- *Omnis* K *eſt* L;
B A- *Atqui omnis* L *eſt* M;
R I. *Ergo aliquis* M *eſt* K.

18. C A- *Omnis* K *eſt* L;
L E N- *Atqui nullus* L *eſt* M;
T E S. *Ergo nullus* M *eſt* K.

19. D I- *Aliquis* K *eſt* L;
B A- *Atqui omnis* L *eſt* M;
T I S. *Ergo aliquis* M *eſt* K.

20. F E S- *Nullus* K *eſt* L;
P A- *Atqui omnis* L *eſt* M;
M O. *Ergo aliquis* M *non eſt* K.

21. F R E- *Nullus* K *eſt* L;
S I- *Atqui aliquis* L *eſt* M.
S O M. *Ergo aliquis* M *non eſt* K.

22. *Ariſtoteles* hanc figuram eſſe negavit, quòd ſit tantùm inverſio primæ, affirmavit *Galenus*; ſed eſt tantùm λογομαχία; quæritur duntaxat quæ ſit definitio vocis *Figura*, uterque enim argumenta eſſe legitima concedit.

CAPUT V.

Methodus quâ an Argumentum validum ſit, neglectis Figurarum Regulis, dignoſci poteſt.

1. Dialectici uſum harum regularum maximè commendant, quippe quæ homini rerum ignaro ſæpe ad ſolvenda argumenta ſufficere, ut illi exiſtimant, poſſint. Nam cùm omnis argumentatio, in qua memoratæ ſervantur Leges generales & particulares, legitima ſit, ad formam quod attinet, & falſæ omnes in quibus eadem negliguntur; ſatis eſt oſtendiſſe peccatum contra Regulas, ut Syllogiſmi conſtet falſitas.

2. Verùm, quicquid dicant Dialectici, hæ Regulæ inanes ſunt, ſine rei de qua agitur cognitione, quoniam ſæpiſſimè ſenſum vocabulorum intelligere, adeóque an ad Regulas exactum ſit argumentum dignoſcere, niſi rem aliunde noſcamus, non poſſumus. Contrà, re cognitâ, ſine Regularum uſu, haud difficulter falſitatem ratiocinii deprehendimus; unde inania eſſe Logicorum pollicita, qui ſe effecturos ſpondent ut quiſpiam, ope ſolius Dialectices, poſſit quidlibet defendere & oppugnare, colligere eſt.

3. Sanè rarò ab iis qui ratiocinio pollent palam contra Regulas haſce, præſertim particulares peccatur, ſed paſſim in aliud incommodum, qui malè ratiocinantur, quod ſi vitetur, aut recegatur, nullum eſt erroris periculum, decidunt Nempe, vocabulis utuntur obſcuris, quæ aut ipſi non intelligunt, aut ſi intelligunt, adhibent de induſtria, ut eos quibuſcum loquuntur fallant. Deinde ſupponunt quaſi nota, & probata, quæ neque per ſe nota, neque demonſtrata ſunt. Hinc fit ut Propoſitionis, quam probare aggrediuntur, termini non poſſint diſtinctè cum tertia comparari idea; & falſo fundamento poſito, quod

fit

ſit ſubſidio obſcurarum phraſium, conſequentiæ quæ inde ducuntur, quo rectiores ſunt, eò falſiores evadant.

4. Hic eſt pænè unicus fons falſorum ratiociniorum, in quæ incidunt qui non prorſus ineptiunt; nec ea cum veris confundamus interdum, niſi quia iis nimis cito, prius quàm ea probè intelligamus, aſſentimur. Igitur ut argumentum, verumne an falſum ſit, expendamus, primò videndum eſt quid probari oporteat, deinde quomodo probetur. Concluſio, quæ continet id quod probare aggreditur is qui ratiocinatur, priùs eſt probè intelligenda; poſtea Medium, quod propterea adhibetur, clarè eſt percipiendum; quo peracto, facilè intelligemus comparationem Medii cum extremis, & quid negandum, quid affirmandum videbimus, modo rem, qua de agitur, aliunde norimus. Nam de re ignota ex tempore ratiocinari, vel defendere, aut oppugnare id quod verum ne an falſum ſit neſcimus, temerarium eſt.

5. Exemplo res clarior fiet, ſupponanus itaque hoc proponi argumentum:

Qui eſt omnipotens poteſt facere ut unum idemque corpus ſit in pluribus locis ſimul;
Atqui Deus eſt omnipotens;
Ergo Deus poteſt facere ut unum idemque corpus ſit in pluribus locis ſimul.

Primò percipienda eſt concluſio, quæ niſi intelligitur, ſtultum eſt ratiocinari ampliùs, nam is delirat qui neſcit probè quid oppugnare, aut probare aggreſſus ſit. Subjectum concluſionis eſt *Deus*, quæ vox æternum rerum omnium Creatorem ſignificat. Reliqua ſunt prædicatum, quod eſt complexum & conſtat hiſce vocibus: 1. *Unum idemque corpus*, quod debet intelligi ſenſu proprio, de eodem numero corpore: 2. *Eſſe in pluribus locis ſimul*, eſt quoque explicandum eodem modo ac dicitur quodlibet aliud corpus *eſſe in aliquo loco*, quando certum ſitum in eo obtinet: 3. *Deus poteſt*, vel *eſt potens facere*, quæ Propoſitio, juxta ſenſum uſitatum vocum, intelligenda.

7. Igi-

7. Igitur qui utuntur hujusmodi argumento aggrediuntur probare *unum corpus numero*, quod unum manet, uno, eodémque individuo temporis momento, esse in pluribus locis simul, Lutetiæ, Romæ, Constantinopoli, Babylone, Alexandriæ, *&c.* Hæc autem Propositio nullatenus potest intelligi, non magis quàm si dicatur unus nummus esse in duorum crumena, & duobus Mercatoribus dari, bis numerari; seu, quod idem est, duos non esse plures uno; & postquam plura corpora numeravero, esse tamen unum. Itaque, quicunque ejusmodi argumenta proferunt, sunt rogandi ut priùs nos doceant quid probare velint, quod si non possint, neque nos etiam iis respondere possumus; quis enim respondeat homini qui nescit ipse quid probet, aut non vult dicere?

8. Hoc autem urgendum, donec qui ita ratiocinatur intelligat quid velit, aut cogatur fateri se nescire quid sibi velit, quod eum ad silentium adiget. In argumenti allati Conclusione, hæc continetur Propositio, *unum posse esse plura & plura unum*, quod quicunque dicet se intelligere mentietur, nec responsione ulla dignus erit.

9. At supponamus Conclusionem allati argumenti posse probè intelligi, adeóque admitti probandam; superest ut intelligamus quid significet Medium, seu tertiæ ideæ nomen, quod voce *Omnipotens* exprimitur. *Posse omnia* duo significare potest, nam significat *posse omnia possibilia*, ut *scire omnia est scire omnia scibilia*, &c. *Possibilia* autem dicuntur quæcunque intelliguntur, seu quorum idea aliqua Menti obversari potest. Eadem phrasis significat etiam fortè, apud quosdam, id posse facere quod vocamus *impossibile* & *contradictorium*, seu cujus nullam ideam mente efformare possumus; ut, unum esse duo, duo esse unum, circulum quadratum, montem sine declivitate facere.

10. Hoc ita constituto, si ad Majorem deveniamus, distinguendus erit sensus vocis *Omnipotens*. Nempe, qui potest facere contradictoria, is potest facere ut duo sint unum, nam hoc est contradictorium. Atqui nequit facere

cere contradictoria, ſed dicitur tantùm *Omnipotens* quòd poſſibilia omnia queat; propterea facere non poterit ut unum ſint duo. Ita, comparatis duobus ſenſibus medii termini cum majore termino, facile eſt videre, an unum poſſit de altero affirmari, ei qui rem expenderit, quod ſemper ſupponimus.

11. Si autem is qui argumento ſimili reſpondere aggrediturnon poſſit ipſe terminorum ambiguitatem deſignare, oportet eum ab argumentante expoſitionem uniuscujuſque termini petere; quæ ſi negetur, certiſſimum indicium eſt aliquid latere fallaciæ, & quia nemo tenetur homini, qui intelligi non cupit, reſpondere, tum reſpondens quicquam reponere non cogitur.

12. Atque hæc eſt certiſſima methodus, quâ, omiſſis omnibus figurarum Legibus, cuilibet argumento, ſi agatur de re nobis aliunde nota, facilè poſſumus reponere. Niſi hoc teneatur, inutiles ſunt Leges; nam in exemplo allato, nemo animadvertat vocem *Omnipotens* aliter in majore Propoſitione ſumi, aliter in minore adeóque falſum eſſe ratiocinium; niſi quotupliciter aliqua Natura *Omnipotens* dici queat, nôrit; nec utrùm negare debeat Majorem, niſi Concluſionis prædicatum probè intelligat, ſcire poterit.

Caput VI.

De Syllogiſmis Conjunctivis & iis quorum Concluſio Conditionalis eſt.

1. Syllogiſni *Conjunctivi* ii dicuntur, quorum Major Propoſitio ita compoſita eſt, ut concluſionem includat, poſſùntque in tres ſpecies, in *Conditionales*, *Disjunctivos*, & *Copulativos*, dividi.

2. *Conditionales* ſunt ii, quorum Major conditionalis eſt,

est, & totam conclusionem complectitur, qualis hic est:

Si Deus est, mundus Providentiâ regitur;
Atqui Deus est;
Ergo mundus Providentiâ regitur.

Major hîc constat duabus partibus, quarum prior vocatur *antecedens*, quod continetur verbis: *Si Deus est:* posterior *consequens*, quod est idem ac Conclusio: *mundus Providentiâ regitur.*

3. Possunt autem duplici modo hæc argumenta concipi, quoniam ex eadem Majore duplex nascitur Conclusio. Primò potest affirmari consequens in Majore, antecedens in Minore, juxta hanc Regulam: *Posito antecedente, ponitur consequens:* ut in argumento modò allato fit. Secundò potest negari consequens, ut negetur antecedens:

Si Deus non est, casu omnia reguntur;
Atqui falsum casu omnia regi;
Ergo falsum antecedens; nempe, Deum non esse.

4. Possunt hi Syllogismi vitiosi esse, cum in *materia*, tum in *forma*. Vitiosi sunt in materia ii quorum consequentia Majoris falsa est, ut si quis ita ratiocinaretur: *Si in quibusdam fallimur, in omnibus erramus.* Vitiosi in forma sunt, in quibus antecedens ex consequenti deducitur; vel in quibus ex negatione antecedentis colligitur negatio consequentis, ut hæc argumenta:

Si Sinenses sunt Muhammedani, sunt infideles;
Atqui non sunt Muhammedani;
Ergo non sunt infideles.

Si Sinenses sunt Muhammedani, sunt infideles;
Atqui sunt infideles;
Ergo sunt Muhammedani.

5. Syl-

5. Syllogiſmi *Conjunctivi* ii dicuntur, quorum Major Propoſitio eſt diſjunctiva; hoc eſt, cujus partes habent inter ſe conjunctiones *aut*, *vel*, ſeu ſimiles. Sunt duplicis generis, nam poteſt tolli una pars Propoſitionis, ut altera ſervetur, ut:

Pertinaciter malos aut in hac, ut in altera vita plecti oportet;
Atqui ſunt mali, qui non plectuntur in hac vita;
Ergo oportet eos plecti in altera.

6. Poteſt contrà, ſed obliquiori ratiocinio, ſervari una pars, ut altera tollatur, ut:

Teſtimonium Apoſtolorum eſt aut ſincerum, aut mendax:
Atqui eſt ſincerum;
Ergo non eſt mendax.

7. Hi Syllogiſmi tum ſunt falſi, quando eſt aliquod medium inter partes oppoſitas Majoris, ut ſi quis ita ratiocinaretur:

Aut ſequenda ſunt placita majoris numeri, aut amittenda veritas;
Atqui non eſt amittenda veritas;
Ergo ſunt majoris numeri placita ſequenda.

vel:

Atqui non ſunt placita majoris numeri ſequenda;
Ergo amittenda veritas.

8. Syllogiſmi *Copulativi* ſunt, in quibus ex duabus partibus Majoris negativæ, copulâ conjunctis, una affirmatur ut altera negetur: uti,

Ne-

Nemo poteſt ſervire Deo, & pecuniæ;
Atqui avari ſerviunt pecuniæ;
Ergo non poſſunt Deo ſervire.

Hi Syllogiſmi non ſunt recti, quando una pars negatur, ut altera affirmetur, ut, inverſo hoc argumento, liquebit.

9. Syllogiſmi quidem perfecti conſtant tribus Propoſitionibus diſtinctis, quales ſunt ii quos attulimus; at ſæpe, in accuratiſſimis ratiociniis, ad Scholæ morem non formantur, ſed Propoſitiones miſcentur, adeò ut duæ tantum diſtinctæ ſint, interdum etiam unica appareat.

10. Hîc duæ occurrunt:

Qui plectit innocentes eſt injuſtus;
Ergo, ſi Deus plecteret innocentes, eſſet injuſtus.

Latent tamen tres, quæ poſſunt ita exprimi, ut concludatur abſolutè:

Qui plectit innocentes eſt injuſtus;
Atqui Deus, juxta quoſdam, plectit innocentes;
Ergo, juxta quoſdam, eſt injuſtus.

11. Poteſt idem ratiocinium in unam Propoſitionem conditionalem contrahi: *Si qui plectit innocentes, eſt injuſtus, & Deus plectit innocentes, ſequitur Deum eſſe injuſtum.*

12. Maximus ejuſcemodi Syllogiſmorum uſus ſitus eſt in eo quod, ubi volumus aliquid perſuadere, ſæpe nobis ſtatim concedi alicujus conſequentiæ neceſſitatem expedit. Hoc autem faciliùs largitur is, cum quo res nobis eſt, quando ita proponitur; quoniam eam poteſt concedere, ſine periculo, quia conditionaliter tantùm proponitur, nec ulli peculiari controverſiæ accommodatur.

13. Ita

13. Ita facilè olim *Prædeſtinatianus* conceſſiſſet: *Si Deus plectere decerneret innocentes, eum fore injuſtum*; quâ conſequentiâ conceſſâ, potuiſſent Orthodoxi oſtendere, ex ejus principiis, Deum futurum injuſtum, hac ratione:

Inſontes ſunt homines abſolutè, ut poſſibiles, conſiderati.
Atqui Deus plectere decernit homines, ex Prædeſtinatiorum Principiis, abſolutè, ut poſſibiles, conſideratos.
Ergo Deus plectere decernit inſontes; quo conceſſo, injuſtus eſſet.

14. Ejuſmodi ratiociniis pleni ſunt Oratores, & quamvis poſſint ad Regulas Syllogiſticas redigi, ut vis eorum ex Regulis expendatur; nemo paulò acutior non videt, ne cogitans quidem de Regulis, utrùm legitima ſint, nec ne; ſi modò terminos probè intelligat, ut ideas quarum ſigna ſunt, inter ſe comparare queat.

Caput VII.

De Dilemmate & Inductione.

1. EST ſpecies Syllogiſmorum, de qua hactenus nihil diximus, & quæ tamen haud infrequentis eſt uſûs. Hanc Veteres *Dilemma* aut *argumentum cornutum* dixere, quòd ex duabus partibus feriat. Eſt *ratiocinium compoſitum, ubi poſtquàm totum aliquod in duas partes eſt diviſum, & de utraque parte aliquid probatum eſt, idem de toto affirmativè aut negativè concluditur.*

2. Exempli causâ, in terris vitam beatam degi non poſſe, hoc Dilemmate, probare poſſumus:

Ut

Ut vivamus beatè, aut affectibus indulgendum, aut resistendum.
Si affectibus indulgeamus, inde brevi innumera nascentur mala; si verò iisdem resistamus, hoc initio sine molestia non fiet, & mala nobis à malis conciliabit.
Ergo in hac vita beati esse non possumus.

3. Interdum in hac argumentatione omittitur aliqua Propositio, quia facile subintelligitur. Ita in hoc argumento, quo aliquis olim probabat à Republica esse abstinendum, subintelligitur Major:

Si sanctè Remp. administres, offendes homines; si pravè, Deos.
Ergo ab ea abstinendum.
Potest enim sic concipi;
Si Rempublicam administres, sanctè, aut pravè eam geres.
Si sanctè, &c.

4. Atque in hoc argumento rursus aliquid subintelligitur; nempe, *Hoc non est aggrediendum, quod sine offensione aut hominum aut Deorum fieri nequit; Atqui Respublica non potest sine alterutro geri; Ergo,* &c.
Dilemma enim allatum est probatio hujus Minoris.
5. Ut sciamus quid ejuscemodi argumentis reponi queat, seu ut eorum vim intelligamus, primò investigandæ sunt Propositiones quæ subintelliguntur, & diligenter expendendæ. Si enim falsæ sunt, tota argumentatio falsa est. Ita hîc hæc Propositio: *Hoc non est aggrediendum, quod sine offensione,* &c. falsa est, nam offensio hominum est flocci facienda, si Numinis ineatur gratia.
6. Secundò, in Disjunctiva Propositione, quâ nititur Dilemma, oportet esse plenam enumerationem partium rei de qua agitur; si enim aliquid omittatur, hoc ex-

exceptionem ſuppeditat. Ita malè argumentabatur qui ducendam non eſſe uxorem ſic probabat:

Si ſit formoſa, erit κοινὴ;
Si deformis, ποινὴ;
Ergo non eſt ducenda.

Etenim ſunt formæ plurimæ inter pulchritudinem, & deformitatem mediæ.

7. Propoſitiones, quibus aliquid de partibus affirmatur, aut negatur, debent eſſet neceſſariò veræ (quod tertio loco obſervandum) ut valida ſit argumentatio. Ita modò allata eſt inanis, quia non neceſſarium eſt formoſam mulierem eſſe *κοινήν:* poteſt enim eſſe tantâ pudicitiâ, ut amantes omnes repudiet, & ſoli adhæreat viro.

8. Quartò denique, ejuſmodi debet eſſe Dilemma, ut retorqueri in eum nequeat, qui hujuſmodi argumentatione utitur. Hoc Dilemma, quod allatum eſt, circa Reip. adminiſtrationem, retorqueri ſic poteſt:

Si Remp. malè adminiſtres, placebis hominibus; Si rectè, Diis;
Ergo eſt adminiſtranda.
Nempe quacunque res cadat, inde naſcetur emolumentum.

9. Eſt alia argumentatio, quæ *Inductio* dici ſolet, & cujus tota vis ſita eſt in obſervatione ſecundæ & tertiæ Dilemmatis Regulæ. Eſt *argumentatio in qua enumeratis omnibus alicujus Rei partibus, adeò ut aliquid de iis affirmetur aut negetur, idem poſtea affirmatur aut negatur de tota Re.* Ita poſſumus probare quod à Pontificiis jactatur de Epiſcopi Romani auctoritate, id nullo nici Novi Teſtamenti loco, hac Inductione:

Nihil eſt in Evangeliis, quod Romani Epiſcopi auctoritati infinitæ faveat.

Nihil

Nihil eſt in Actis, nec in Epiſtolis Pauli, quod eidem faveat.
Nihil eſt in Epiſtolis Catholicis, neque in Epiſtolis Joannis, quo defendi queat.
Nihil eſt in Apocalypſi, cujus ope propugnari poſſit.
Ergo nihil eſt in toto Novo Teſtamento, quod eam tueatur.

10. Differt hoc ratiocinium è Dilemmate: 1. quòd plures enumerentur partes, quàm duæ: 2. quod nullam diſjunctivam Propoſitionem neceſſariò ſupponat: 3. Quod variùs Propoſitiones ullæ ſubintelligantur, ſi Majorem exceperis; quæ, exempli causâ, in allata inductione ſubintelligitur.

11. Cæterùm hoc eſt utrique huic argumentationi commune: 1. In enumeratione, nullam omittendam partem: Quod de ſingulis ſeparatim dicitur, id oportere neceſſariò eſſe verum. Manifeſtum eſt non poſſe de integro Toto aliquid affirmari aut negari, quod ex ejus partium luſtratione colligatur, ſi aliqua fuerit omiſſa; nam in ea fortè eſt quod in cæteris non obſervatur. Neque minùs perſpicuum eſt de Toto neceſſariò verum id eſſe non poſſe, quod ex partium enumeratione concluditur. ſi de omnibus partibus neceſſariò verum non ſit; etenim Concluſio præmiſſis firmior eſſe nequit.

CAPUT VIII.

De Variis Sophiſmatum Speciebus.

1: POſtquam legitimorum ratiociniorum Regulas tradidêre Dialectici; præcepta quorum ope vitioſa quædam ratiocinia quæ primo intuitu memoratis Regulis contraria non videntur, dignoſcantur deſcribunt. Ea ratiocinia vocantur *Sophiſmata*, vel *Paralogiſmi*, & poſſunt ad novem præcipuas ſpecies referri, quas paucis enumerabimus; quoniam traditis recti ratiocinii

cinii Regulis, vix opus eſt alio ſubſidio ad ſolvenda Sophiſmata.

2. Prima vocatur *ignoratio Elenchi*, quæ eſt ignoratio aut vera aut ficta ejus quod probandum eſt. Magnâ, ſcilicet, ſæpe verborum pompâ probatur, quod nequaquam in quæſtionem vocatur. Plurimi ſunt, qui ubi audiunt ab aliquo dici, homines poſſe probos eſſe ſi velint, aut contrà malos, nec quicquam eſſe quod ineluctabiliter ad bonum & malum compellat; ſunt, inquam, qui ut hoc falſum eſſe oſtendant, multis verbis probant homines pendere à Deo, nec poſſe ſine ſacrilegio eos divinæ voluntati ſubduci. At nemo negarit Deum ſummum eſſe humani generis Dominum, qui ut id creavit, ita etiam quamlibet mutationem in eo producere poſſet. Quæritur tantùm an Deus homines libertate ipſis conceſſa (quam ſi vellet adimeret) uti velit.

3. Secunda vocatur *Petitio Principii*, quâ id quaſi compertum ſupponitur, de quo controverſia eſt, & inde conſequentiæ ducuntur. Ubi cum Pontificiis de dogmatibus, quæ in litem vocantur, ſermo eſt; ſæpe eos audias clamantes, audax eſſe facinus, quòd qui ab iis ſeceſſerunt, contra Univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ omnium ſæculorum conſenſum, quædam oppugnare, aut defendere aggrediantur, indéque tragicis conſequentiis invidiam Adverſariis creare nituntur. Verùm hoc ipſum, an omnium ſæculorum Chriſtianorum Eccleſiæ cum iis ſenſerint, quæritur.

4. Tertia Sophiſmatum Species dicitur *non cauſa pro cauſa*, quâ aliquid ſtatuitur eſſe cauſa alterius Rei, cùm non ſit. Atque in hoc peccatum duobus potiſſimùm de cauſis delabuntur incauti. 1. Cum quædam ſimul eſſe ſolent, aut aliquoties etiam unà conſpecta ſunt, facilè credunt eſſe inter ea certum nexum, quo fit ut unum alterum neceſſariò ſequatur. Cùm *per accidens*, ut loquuntur, duo conjuncta ſunt, paſſim unum alterius fingitur cauſa. Exempli gratiâ, ſi apud Veteres Romanos Imperator Exercitûs, non bene capris auſpiciis, malè Rempublicam geſſiſſet, tribuebatur id vitioſis auſpiciis. Quod

aliquoties ſit obſervatum ſeptimo, & quartodecimo diebus acutos morbos aut intendi aut minui, ii dies *Critici* dicti ſunt, quaſi inde Medici quis futurus eſſet morbi exitus judicare poſſent. Quod nihil in animo habeamus, antequàm ulla ſenſatio præceſſerit, exiſtimarunt Peripatetici motum, qui in corpore noſtro fit, veram eſſe atque unicam omnium cogitationum noſtrarum cauſam. 2. Superbia Philoſophorum, quâ factum ut res prout par erat, nondùm expenſas perſpectas tamen habere videri voluerint; ea, inquam, ſuperbia paſſim eos ut eas cauſas eſſe dicerent quarundam rerum, antequàm hoc ſatis conſtaret, ne viderentur aliquid ignorare, adduxit. Verùm hoc vitium nos in Sophiſma *non Cauſæ pro Cauſa* raro agit præcipites, ubi non occurrit conjunctio quorundam eventuum, de qua modò diximus.

5. Quarta Sophiſmatum Species *Enumeratione imperfecta* nititur. Sæpe, re non ſatis perſpecta, Philoſophi aliquod poſſe fieri negarunt, quod certo quodam modo ipſis noto fieri nequiret; cùm debuiſſent cogitare omnes modos, quibus id fieri poteſt, ſibi fortè, non eſſe notos. Iidem aliquid certâ ratione fieri, quod nullam aliam noſſent, nimis temere ſæpe dixerunt. Ita olim erant qui riderent quod à quibuſdam de Antipodibus dicebatur, nec poſſent capere † *quemquam*, uti loquebantur, *eſſe tam ineptum, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora quam capita; aut ibi, quæ apud nos jacent, inverſa pendere; fruges & arbores deorſum verſus creſcere, pluvias & nives & grandinem, ſurſum verſus cadere in terram.* At eventus quàm hæc inania ſint ſatis docuit. Veteres Aſtronomi, qui ſolidos cœlorum orbes fabricati ſunt, aut tubis perforarunt ut per eos ſtellæ aut raperentur aut volverentur, portentoſas ejuſmodi Hypotheſes invenerunt; quod nullam aliam rationem, quâ ſidera æquabilibus motibus agi poſſent, comminiſcerentur. Verùm nulla pænè in Diſciplina, frequentius committitur imperfectæ enumerationis Sophiſma, ac in Critica, ſeu in interpretatione Veterum. Paſſim contendunt Critici locu-

† *Lactant. Divin. Inſt. L. III.* c. 23.

locutionis alicujus eſſe unum ſenſum, aut etiam geminum, ac triplicem; quo poſito, unum amplectuntur, aut omnes rejiciunt, indéque locum corruptum eſſe judicant; cùm ſæpe fiat ut ex memoratis ſenſibus nullus ſit is, quem Scriptor in animo habuit, cujus rei exempla ſat multa in *Critica Arte* protulimus.

6. Quinta Sophiſmatum Species à Dialecticis dicitur *Fallacia Accidentis*, & committitur ubi ex aliqua re, quæ *per accidens* vera eſt, deducitur concluſio ſimplex & abſoluta. Ita interdum ex eo quod remedio aliquo infeliciter uſus fuit Medicus quiſpiam, colligitur remedium illud eſſe noxium, quod ratiocinium ejuſmodi eſt:

Hoc per accidens malum fuit;
Ergo ſemper & abſolutè malum.

Sæpe etiam hoc noſtro ſæculo, quo ſanè homines æquiores eſſe deceret, audito aliquo, ex qualibet Chriſtianorum familia, Theologo qui aut mendacia manifeſta defendit quaſi Cœlo delapſa, aut ineptè Chriſtianam Religionem propugnat, malum de ſanctiſſimâ Chriſti Doctrinâ fertur judicium. Quâ re nihil poteſt iniquius fingi, quid enim magis eſt ab æquitate remotum hoc ratiocinio; *Quidem exponens doctrinam, ante mille ſexcentos annos, & quod excurrit, traditam, aut mentitur, aut ineptit: Ergo tota illa doctrina mendax, aut inepta eſt.* Annon enim poteſt fieri ut hodie malè exponatur apud pleroſque, & mendaciis incruſtetur, quod ſapientia & veritate excellit, ſi omiſſis parùm ſinceris Interpretibus, in ſe introſpiciatur?

7. Sexta Species Sophiſmatum vocatur *Fallacia Compoſitionis*, cui ex adverſo oppoſita eſt *Diviſionis Fallacia*. Nempe, in ſermone conjunguntur interdum, quæ conjunctim ſumpta non ſunt vera. Ita ubi Chriſtus dicit *cæcos videre, ſurdos audire*, non vult cæcos, dum cæci ſunt, videre; & ſurdos, dum ſurdi ſunt, audire; ſed eos, qui fuerant cæci & ſurdi, videre atque audire, recuperato oculorum & aurium uſu. Simili ſenſu Deus à Pau-

lo Rom. IV. 5. dicitur *juſtificare impium*, hoc eſt, eum qui impius fuerat transferre in ſtatum juſtitiæ & ſalutis. Hæ Propoſitiones veræ ſunt tantùm *ſenſu diviſo*, ut loquuntur Scholaſtici, non *ſenſu compoſito*.

Alia ſunt, quæ vera ſunt duntaxat *ſenſu compoſito*, ut cùm Paulus dicit 1 Cor. VI. 9, 10. *Cynædos, Idololatras, Mœchos*, &c. *non conſecuturos regnum Cœlorum*. Intelligit, nempe, eos, quos mors in iſtorum peccatorum habitibus deprehendet; non eos etiam, qui, olim iis inquinati, ante mortem vitiis valedixerint.

Poteſt autem fieri ut ex Propoſitionibus ſenſu diviſo veris eliciatur Concluſio, quæ ſenſu compoſito intelligenda erit, & vice versâ, quod eſt Sophiſma. Ita ſi quis ex Evangelio probare vellet contradictorias ſimul poſſe eſſe veras, & uteretur verbis allatis: *cæci vident*, &c. unde colligeret poſſe fieri ut aliquis ſit cœcus, & tamen utatur oculis, tranſiliret à ſenſu diviſo ad compoſitum. Si quis vellet probare ſine ſanctitate poſſe homines Dei miſericordiam conſequi, ex loco Pauli ad Rom. IV. in eundum ſcopulum impingeret. Contrà ſi quis, ſine perpetua per totam vitam ſanctitate, beatitudinem æternam ſperari non poſſe ex loco 1 Cor. VI. oſtendere niteretur, à ſenſu compoſito ad diviſum tranſiliret.

Cæterùm, quamvis hæc diſtinctio certis locis legitima ſit, & violari, ſine Sophiſmate, nequeat, obſervandum tamen non poſſe in *ſenſus diviſi* diſtinctionem peccari; niſi ubi termini Propoſitionis reipſa dividi poſſunt, ſeu ubi res iis ſignificatæ interdum ſeparatim exiſtunt. At quando nunquam ſeorſim ſunt, tum nonniſi ineptè ea adhibeatur diſtinctio. Ita *Thomiſtæ* fruſtrà utuntur diſtinctione ſenſus diviſi, quando ipſis objicitur, ſi nullus Reprobus ſalutem conſequi poſſit, eos damnari quod impoſſibile non præſtent, iniquum autem hoc eſſe. Reponunt *Reprobos poſſe ſervari ſenſu diviſo, non compoſito*, ſed reprobatio æterna & ſalutis poſſibilitas coëxiſtere non poſſunt, adeóque meritò ſemper quaſi diviſa ſpectantur.

8. Septima Species Sophiſmatum committitur, quando

do *à dicto ſecundùm quid tranſitur ad dictum ſimpliciter*; hoc eſt, quando, ex eo quod certo tantùm reſpectu verum eſt, colligitur Concluſio generalis & abſoluta. Hoc Sophiſma commiſerit, qui ſic raciocinetur de Romana Hiſtoria: *Sunt fabulæ apud eos, qui Romanam Hiſtoriam ſcripſerunt*; *Ergo nulla fides Romanis Hiſtoricis debetur.* Verè quidem Romanæ Hiſtoriæ mendacia ineſſe dicuntur, qualia ſunt quæ dicuntur de Patre Romuli, & ejuſdem in Cœlum raptu, de Egeria uxore Numæ, de trecentis Fabiis, qui ad bellum exierint, relicto domi unico impubere, *&c.* At falſum eſt reliquam omnem Hiſtoriam eſſe fictam. Æquè ſtultè nonnulli Pontificii dixerunt in Codicibus Sacris eſſe plurimas varias lectiones, ac menda Librariorum; ideóque non eſſe tutum ſoli Scripturæ adhærere, ut cognoſcatur Apoſtolorum doctrina. Sunt quidem variæ lectiones, plurimis in locis, & Librariorum errata: at longe plura, conſentientibus Codicibus omnibus, ſana ſunt. Itaque *à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter* immeritò ratiocinantur.

9. Octava Sophiſmatum Species eſt *abuſus ambiguitatis terminorum*, de quâ cavenda multa ſupra diximus Par. II. c. 12. & III. c. 10. ubi egimus de *Definitione vocum.* Ad hanc Sophiſmatum Speciem referri poſſunt omnia vitioſa argumenta, quæ habent quatuor terminos, ſeu Medium ſit duplex, ſeu termini aliter in Concluſione, ac in præmiſſis intelligantur. Neque ea eſt ambiguitas coërcenda intra craſſas æquivocationes, quibus nemo fallitur qui ſapiat; ſed etiam ad omnes voces, & phraſes porrigenda quæ plures capiunt ſenſus, & ambiguitate ſuâ interdum etiam Doctos fallunt. Hujus Sophiſmatis exempla quidem nimis multa occurrunt, in Univerſa Philoſophia; ſed præ cæteris peccant, hoc in negotio, qui ex Veterum Scriptorum dictis argumentantur. Paſſim enim ex vocabulis aut phraſibus ambiguis conſequentias nectunt quaſi neceſſarias, quibus falluntur. In Controverſiis quoque, ſæpe videas utramque partem æquivocatione terminorum abuti. Ita ubi quæritur an corpus Chriſti ſit *verè* & *realiter* in Euchariſtia? Pontificii af-

firmant, non contradicentibus iis, qui alia prorsus sentiunt. Inde utrinque mira nectuntur argumenta, quorum vanitas illico appareret, si ambiguis vocibus abstineretur. Sed hoc ipsum cavent ne faciant homines controversiarum amantes, qui non veritatem sed victoriam quærunt, neque an sincerè, sed an aptè ad vitanda Adversariorum tela loquantur, curant.

10. Solet addi nona Sophismatum Species, in quam incidunt qui *ex Inductione non integra Universalem Conclusionem eliciunt*. Sed quia hac de re egimus in Cap. VII. & proprerea coincidit pænè cum eo quod diximus §. 5. de *imperfecta enumeratione*, de hoc Sophismate dicere amplius supersedebimus.

11. Si vellemus omnes errandi occasiones, aut fallendi rationes prosequi, & inde quæ nascantur falsa ratiocinia ostendere, in immensum Sophismatum excrescerent Species. Verùm hac de re egimus Par. II. c. 9. ubi de causis erroris; & satis est ostendisse ad quot genera Sophismata referri queant, juxta Dialecticorum receptam consuetudinem; quæ tamen accurata non est, ut hoc obiter moneamus. Etenim suâ hac Sophismatum divisione, non indicant omnes errorum fontes; & quædam specialia memorant, omissis generalibus. Attamen à nobis ea cum ἰσοτίας ἕνεκα, tum quia eorum hîc observationes veræ sunt, recensenda duximus.

12. Atque hîc esset finis imponendus Parti IV. de *Argumentatione*, seu Arte disputandi, juxta receptum Scholarum morem; nisi aliam disputandi tutiorem & faciliorem Methodum, si fortè in arenam sit descendendum, exponere operæ pretium existimaremus.

CA-

Caput IX.

De Socratica diſputandi Methodo.

1. Cum omni viro probo ſolam veritatem quærere, atque inventam aliis patefacere, non ut ingenium oſtentet, aut aliorum arguat tarditatem, ſed ut boni, quod hominibus in commune datum eſt, participes eos faciat, certum eſſe debeat; Artem rixandi, quæ tam diu in Scholis obtinuit, quæque nihil habet præter inanem acuminis oſtentationem, prorſus eſſe viro ſapiente indignam ſequitur. Sed quoniam, ſine Arte, veritas diſtinctè cognoſci aut probari nequit; ut hoc rectè fieri poſſit, ei Arti operam aliquam navaſſe neceſſe eſt. Sæpe etiam, ad retundendos Sophiſtas, qui ſe ſcire jactant quod reverâ neſciunt; magna ſolertia, quo, ignorantia ſuâ intellectâ, meliùs edoceantur, opus eſt.

2. Cùm Græcia ſemper hujuſmodi Sophiſtis abundarit, tum præcipuè ſe jactare cœperunt, cùm Philoſophia paulò diligentiùs culta eſt; hoc eſt, circa Socratis tempora. Hic autem Vir, cùm eſſet naturâ factus ad Sophiſtarum ſuperbiam retundendam, nobis viam oſtendit, quâ idem hodie, ſi neceſſe ſit, facere poſſimus; quæ via cùm à præteritis ſæculis debuiſſet calcari, neglecta eſt, fortè quòd ipſi Socratici Sophiſtæ facti id ſcire videri voluerint quod ignorabant, & Artes Sophiſticas propterea, omiſsâ viri ſapientiſſimi pulcherrimâ methodo, coluerint.

3. At nos eam, cum propter allatam rationem tum quòd candori, quem probus quiſque præ ſe ferre debet, convenientiſſima ſit, in lucem, brevi expoſitione, revocabimus. Opus quidem eſt aliquo acumine, & celeritate ingenii; ſed ſine hiſce, ne ullâ quidem aliâ arte

poteſt animus ad extemporaneas concertationes muniri.

4. Prima hujus Methodi Regula jubet eum qui ea uſurus eſt *ita ſe gerere quaſi ab eo, cum quo res ipſi eſt, vellet aliquid diſcere.* Ac ſanè omnes ita debemus eſſe comparati, ut veritatem, undecunque veniat, libenter nos excepturos præ nobis feramus. Neq; par eſt quemquam tam magna ſentire de ſe, ut non putet ſe à quolibet aliquid diſcere, aut ſaltem incitari ad cogitandum de re aliqua, de qua forte nunquam cogitaſſet, poſſe. Et præterquam quod unusquiſque hoc ſibi debet; ejuſmodi animi affectio, quæ ex verbis & vultu apparet, ad opinionem modeſtiæ & ſinceritatis in audientium animis pariendam, quâ re tutiſſima ad perſuadendum via aperitur, aptiſſima eſt.

Secundò, priuſquàm quicquam objicere aggrediamur, *oportet nos eum cum quo loquimur, ſi utatur verbis obſcuris, interpretationem rogare.* Sæpe evenit ut homines verbis quibuſdam aſſueti, ea ipſi non intelligant, atque ex hujuſmodi interrogationibus ſuam ignorantiam ſentiant, multò magis quàm ex directa oppugnatione, quæ affectus ferè incendit. Quod ſi contingat eos bonæ eſſe fidei, à ſe rem non ſatis intelligi agnoſcunt, & tum diſputatio finita eſt. Sin pertinaciâ quis laborat, & vult ſuas voces ſine definitione admitti, nunquam hoc concedendum eſt, nec ulteriùs procedendum, donec quid ſibi velit perſpicuè dixerit. Variis quæſtiunculis premi eum oportet, quam molliſſimis fieri poterit verbis; non ejus unquam incuſanda ignorantia aut loquendi imperitia, ſed noſtræ id tribuendum tarditati & inſcitiæ, quod non aſſequamur quæ ille intelligit. Interea nihil quicquam admittendum obſcurum, quantumvis indignetur; quod poteſt facillimè fieri, ſi dicamus nos paratos eſſe veritati aſſentiri, ſed eam priùs intelligi oportere, quis enim Propoſitioni non intellectæ, præter fatuum, aſſentiri par eſſe dicat? Si nullâ ratione clariores locutiones poſſunt extundi, finis diſceptationi imponitur; atque inde apparet eum neſcire quid ſibi velit. Hinc Auditores vanitatem

tatem hominis intelligunt, qui de rebus ignotis loquatur; & ſæpe etiam in ejus animo, pertinaci licet, aculeus relinquitur.

6. Tertio, ſi tandem eò devenit, ut clarè quod vult efferat, *oportet eum rogare de doctrinæ omnibus partibus, ejuſque conſequentiis, non quaſi quicquam in iis reprehendamus, ſed ut pleniùs doctrinam percipiamus; ita ut videatur Magiſter, nos Diſcipuli.* Hiſce interrogationibus patebit doctrinæ abſurditas, ſi qua ſit, meliùs quàm ſi apertè oppugnaretur; modò dextrè & magno numero, ut idem ſæpiùs repetere cogatur, ne poſſit negare aliquid à ſe dictum quod revera protulerit, proponantur. Hoc in loco, ut amplior exſculpatur expoſitio, expedit exemplis & ſimilitudinibus uti, & quærere utrum hoc, vel illo modo, res ſe habeat. Quo fiet hoc copioſiùs, eò magis liquebit opinionis falſitas.

7. Ut plurimùm perſpicua doctrinæ cujuſpiam, cum ejus conſequentiis, expoſitio ejus abſurditatem, ſi vera non ſit, oſtendit. At ſi ne hoc quidem ſatis eſt, tum *quærendum quibus argumentis nitatur*, & circa Argumenta eodem modo ſe gerendum ac circa reliqua. Interrogandus qui nos perſuadere nititur, quaſi ab eo verum diſcere duntaxat niteremur; nihil obſcuri condonandum ei eſt; denique tota ſeries ratiociniorum ira ab eo eſt audienda, ut in intelligenda cum ejus doctrina, tum fundamentis quibus inædificata eſt percipiendis, nihil ſuperſit difficultatis.

8. Ubi hoc diligenter peractum eſt, neceſſe eſt eum qui doctrinam ſuam proponit quàm ſit falſa, aut quàm levibus nitatur probationibus videre; quod ſi affectus non patiuntur, ſaltem id ab aliis qui adſunt animadvertitur, & honeſta eſt excuſatio non ampliùs congrediendi cum ipſo, ſi indignè ferat in ſuam opinionem non tranſiri, quantumvis abſurdam.

9. Hujus Methodi exempla ſunt plurima in *Platonis* Dialogis, quanquam hic Magiſtro δογματικώτερος multò eſt; & in *Xenophonte*, qui plurima refert Socratis colloquia, verè, ut videtur, habita, cum Plato multa finxerit. Sed

ne

ne procul exempla petenda ſint, & uſus pulcherrimæ Methodi, in hodierna aliqua controverſia, appareat, hîc dialogum fingamus inter *Thomiſtam* & alium, de divinæ Providentiæ efficacia diſputantes.

10. A. Miror te eſſe uſque adeò inconſideratum, ut Deum *efficaciter operari* in hominum peccatis, quod Scriptura diſertè teſtatur plurimis in locis, negari auſis.

B. Negavi duntaxat me hoc quomodo fiat intelligere. Fortè, quia habetior ſum, rem aliis captu facilem non aſſequor. Sed libenter audiverim, quî à te capiatur, ut enim quod nullatenùs intelligo credere, ita neque damnare ſuſtinuerim. Quid ergo intelligis hiſce vocibus, *operari in hominum peccatis?* An hoc eſt *efficere peccata?*

A. Abſit, nam Deus eſſet auctor peccati. Homines ipſi peccata committunt, non Deus.

B. Eſtne ergo *efficere ut homines ea committant*, ſeu *impellere homines ad ea committenda?*

A. Ne hoc quidem ita crudè dixerim, ſed arcano quodam modo Deus ita peccatum, ut neceſſario eveniat, *permittit.*

B. Antea uſus es voce *operari*, jam uteris voce *permittere*, an idem ſignificant?

A. Hæ voces non idem prorſus ſonant, ſed ſunt unà conjungendæ, ita ut quod Deus agit dicatur *permiſſio efficax*; nam neque Deus ipſe peccatum facit, neque tamen ſimpliciter permittit.

B. Igitur hoc tibi vis, Deum aliquid permittere, aliquid efficere, ita ut peccatum neceſſariò eveniat?

A. Hoc ipſum volo.

B. Igitur fortè idem facit hic Deus, ac qui aggere rupto mare in agros admittit; nam facit aliquid in eo quod rumpit aggerem, & aliquid permittit in eo quod marinam aquam fluere per fractum aggerem patitur.

A. Non potuit mens mea ſimilitudine feliciori exprimi.

B. At in vulgari ſermone, qui aggerem rupiſſet aquam marinam agris *immiſiſſe* diceretur; nemo culpam ullam ag-

aggeri, aut mari tribueret, at tu, ut puto, culpam aliquam in hominem conjicis; dicisq; ab homine, non à Deo, commiſſum peccatum. Videtur ergo neſcio quid aliud tua *permiſſio efficax* ſonare.

A. Annon animadvertis hoc eſſe, quoad res ipſas, immane diſcrimen? Nempe, homines ſunt intellectu & voluntate prædiți, quibus carent agger & mare; ideò culpa hominibus peccantibus, non mari & aggeri, tribuitur.

B. Sed quæro an id quod facit ac permittit Deus ſit ejus *efficaciæ*, (nam hac quoque voce uſus es) ut non magis poſſint, eo poſito, homines abſtinere à peccato, ac mare in agros, per apertum aggerem, non influere?

A. Rectè dicis, hæc eſt mens mea.

B. Ergo juxta te, eadem erit relatio, eo ſenſu, inter Deum & peccatum; quæ eſt inter hominem, qui aggeres aperit, & agrorum perniciem.

A. Eſt, quod ad eventum attiner, qui utrobique æquè neceſſarius eſt.

B. Itaque actio utriuſque, juxta conſuetudinem ſermonis, eadem ratione exprimi poteſt; nempe, ut is qui aggerem apperit cauſa ſterilitatis agrorum vocatur, quia id fecit quod neceſſariò agros perdidit: ita Deus qui fecerit, quod neceſſariò hominem in peccatum induxit, cauſa peccati fuiſſe dicetur.

A. At jam à me crudas omnes eas locutiones repudiari dixi.

B. Verùm, aut non intelligo quod dicis, aut eodem res recidit; debemus autem non ſono ſimplici vocabulorum quo nihil ſignificatur, ſed ideis adnexis attendere.

A. Vis, nempe, mihi leges ſermonis, quaſi loqui neſciam, præſcribere.

11. Si eò tandem rediret Dialogus, nulla eſſet ratio ulteriùs colloquendi, atque inde oporteret eum, qui deſignatur Literâ A. neſcire quid ſibi velit, aut à vocibus magis quàm à re abhorrere; cujus rei cauſam (nam paſſim hoc evenit) aperimus in *Critica* P. II. §. 1. Cap. XV. Satis confutata haberi debet ſententia, quàm claris ver-

verbis efferre eum pudet qui eam defendit. Verùm ſupponemus rurſus eadem de re ſermones ſeri, ut tertiæ Regulæ uſum oſtendamus; priora enim primam & ſecundam ſatis illuſtrant.

12. A. Intellexiſti ſatis hanc eſſe meam ſententiam, Deum ita ſe gerere circa malum, ut merus ſpectator non ſit, ſed uſque adeò agat, ut, eâ actione poſitâ, peccatum ab homine admittatur.

B. An ergo, antequàm peccatum committatur, ſi Deus nihil aggeret, peccatum non committeretur?

A. Minimè, nam ſine divinæ Providentiæ efficacia nihil fit.

B. Quid? an putas hominem ſolum non poſſe leges divinas violare?

A. Hoc ipſum nego, quando ſine divinæ Providentiæ efficacia quicquam fieri nego.

B. Igitur quemadmodum Deus nos ad rectè, ita ad malè vivendum adjuvat.

A. Falleris, etenim in malo diſtinguenda eſt *actio*, ab actionis *vitio*. Deus adjuvat nos ad edendam *actionem*, ſed non ad *vitium*. Verùm in bonis actionibus, ad bonum etiam, quod eſt in actione, ſubſidio eſt.

B. Doce me, quæſo, quid *actionem*, quid actionis *vitium* voces.

A. Hoc exemplo liquidò tibi oſtendam. In *odio proximi*, eſt actio ipſa odii, quæ per ſe indifferens eſt; & bona, quando in objectum licitum fertur, mala quando in illicitum, dicitur. Deinde eſt actionis ipſius ad objectum relatio, quæ eſt mala. Ad hanc relationem non *concurrit* Deus, licèt ad actionem neceſſariò *concurrere* eum oporteat, ut edatur.

B. Inde colligo te hoc velle, primò Deum generare in mente hominis odium in genere, quod neque eſt bonum neque malum, deinde accedere relationem odii ad objectum; exempli gratiâ, quando refertur ad proximum. An intellexi quid velles?

A. Partim quidem, at non prorſus; ullum enim odium in genere exiſtere, quod poſtea determinetur ad certum objectum, non cenſeo. Experientiæ hoc contrarium eſt.

B. An

B. An ergo Deus creat, exempli cauſâ, illud ipſum odium quod in proximum fertur?

A. Prorſus, ſed non relationem.

B. Sed eſtne id odium, ſine ea relatione?

A. Minimè, eo enim momento, quo in mente procreatur, eſt odium in proximum.

B. Igitur, juxta te, Deus procreat odium quod cum vitioſa relatione ita *coëxiſtit*, ut non niſi per abſtractionem ab ea diſtingui queat.

A. Procreat.

B. Hoc odium in humana mente genitum, poteſtne ab homine in objectum licitum, quale eſt Vitium, referri?

A. Non poteſt, etenim, poſitâ actione Dei, eventum certum ſequi dixi.

B. Quæſo te, ſi quis humeris alicujus onus imponeret, quod dejicere ſemel onuſtus non poſſet, & inde neceſſariò ſequeretur cratem ei coſtarum frangi, annon oneris impoſitor eodem loco ac ſi fregiſſet ipſe coſtas, ſi eventum ſuæ actionis præcognoviſſet, haberetur?

A. Haberetur.

B. Si quis alium in ripa fluvii ambulantem pelleret, ita ut is non poſſet obſiſtere quominus in flumen caderet, indéque ſubmergeretur, annon impulſor ſubmerſiſſe impulſum diceretur.

A. Diceretur.

B. At ſunt qui te falli dicent; ſed ab utroque productam *impoſitionem* & *impulſionem*, non *fractionem coſtarum*, neque *ſubmerſionem*: quemadmodum Deus *odium*, quod in proximum fertur, ſine relatione ea mala, generat.

A. Manifeſtum quidem eſt homines illos eſſe reos fractionis & ſubmerſionis, at alia eſt ratio Dei, qui adminiſtrationis ſuæ rationem nobis homuncionibus exhibere non tenetur.

B. At ſi, juxta te, idem facere ſtatuatur ac peccatores; aut hi abſolvendi, aut Deus unà damnandus.

A. An neſcis *Dei vias non eſſe vias noſtras, neque cogitationes*

nes ejus cogitationes noſtras? An vas in figulum indignabitur, queſturum quare non aliter ſit fictum?

13. HINC *Thomiſtam:* litera A notatum, aut non intelligere quid dicat, aut ab eo Deum auctorem peccati ſtatui omnes vident. Nam extremum reſponſum oſtendit eum qui eo utitur, ad anguſtias redactum, μεταβάσις εἰς ἀλλογένος, id dicendo quod non agitur, elabi velle. De re agere non decrevimus. Exemplum attulimus Socraticæ Diſceptationis, juxta quod de fundamentis opinionis allatæ, eadem Methodo, diſputari queat. Atque hæc quàm feliciter tertia obſervetur Regula, & tota Methodus commoda & utilis ſit, ſatis docent.

FINIS.

INDEX
CAPITUM IV. PARTIUM.

PARS I. *De Singulis Ideis.*

CUI præmissa est *Præfatio de Origine, Natura, Usu & Divisione Logicæ.* p. 1.

CAP. I. *De Natura & Speciebus Idearum.* 9

II. *De Ideis Simplicibus & Compositis.* 11

III. *De Ideis Substantiarum & Modorum.* 15

IV. *De Relationibus.* 19

V. *De Categoriis Aristotelis.* 22

VI. *De Ideis, quæ sine ulla Mentis operatione ei obversantur, & iis in quibus efformandis intercedit aliqua Mentis operatio.* 25

VII. *De Ideis Individualibus, Particularibus & Universalibus.* 28

VIII. *Errores ex Vulgari de Universalibus doctrina nati.* 32

IX. *De Perspicuitate & Obscuritate Idearum.* 36

X. *De Ideis Adæquatis & Inadæquatis.* 39

XI. *De aliquot vocabulis, quibus Scholastici designant varias Ideas, déque sermone.* 43

PARS II. *De Judiciis.*

CAP. I. *De Judicio in Mente, & Verbis expresso.* 47

II. *De Propositionibus Universalibus & Particularibus.* 49

III. *De Propositionum Oppositione.* 52

IV. *De Propositionibus Simplicibus & Compositis.* 54

V. *De Propositionibus exponibilibus, seu sensu compositis.* 57

VI. *De Propositionibus Complexis & Incidentibus.* 60

VII. *Quid sit veritas & Falsitas, atque an detur certum, utriusque discrimen.* 63

VIII. *De variis Perspicuitatis in Propositionibus gradibus, & Verisimilitudine.* 66

IX. *De Propositionibus dubiis, Falsitatis suspectis, & falsis.* 74

X. *De Fide.* 83

XI. *De*

INDEX.

XI. *De Propoſitione, quæ Diviſio dicitur.* 86
XII. *De Propoſitione, quæ Definitio dicitur; & primum quidem de Definitione nominis.* 90
XIII. *De Definitione Rei.* 93

PARS III. *De Methodo.*

CAP. I. *De Methodo, eâque Analytica & Synthetica.* 97
II. *De Attentionis neceſſitate & ſubſidiis quibus comparari poteſt.* 101
III. *De Mentis capacitate, ejuſque augendæ ratione.* 107
IV. *Methodi Analyticæ Leges.* 111
V. *De tribus Axiomatibus quibus nititur Methodus omnis.* 115
VI. *De prima Analytices Regula.* 119
VII. *Secunda & tertia Analyſeos Regulæ.* 122
VIII. *Quarta, quinta, ſexta & ſeptima Analyſeos Regulæ.* 125
IX. *Syntheſeos Regulæ.* 128
X. *Leges Definitionum.* 131
XI. *Regula Axiomatum.* 135
XII. *Regulæ Demonſtrationum.* 138
XIII. *Quare in aliis diſciplinis rarè occurrant Demonſtrationes, quæ in Mathematicis ſolæ adhibentur.* 142

PARS IV. *De Argumentatione.*

CAP. I. *De Natura, Partibus & Generibus Argumentationis.* 147
II. *Regulæ Generales Syllogiſmorum.* 150
III. *De Figuris & Modis Syllogiſmorum in genere, ac de prima Figura Speciatim.* 153
IV. *De Regulis & Modis trium reliquarum Figurarum.* 155
V. *Methodus quâ an Argumentum validum ſit, negleciis Figurarum Regulis, cognoſci poteſt.* 157
VI. *De Syllogiſmis Conjunctivis & iis quorum Concluſio conditionalis eſt.* 161
VII. *De Dilemmate & Inductione.* 165
VIII. *De variis Sophiſmatum Speciebus.* 168
IX. *De Socratica diſputandi Methodo.* 175